

DE HERODIANI TECHNICI DIALECTOLOGIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS RITE
IMPETRANDOS

SCRIPSIT

H. STEPHAN
ACHERNENSIS.



ARGENTORATI
J. H. ED. HEITZ (HEITZ ET MÜNDEL SOCII).
MDCCCLXXXIX.

STUDEMUNDO

Viro doctissimo

D.

CAPUT PRIMUM:

De vocibus dialecticis.

PARS PRIOR:

Quomodo Herodianus de vocibus vulgarium dialectorum propriis iudicaverit.

Herodianus plurimis locis scriptorum suorum, quae quidem adhuc exstant, distinguit inter Ἑλληνικὰς voces et inter voces βαρβάρους sive ξένας. Itaque antequam de singulis Graeci sermonis dialectis apud Herodianum tractatis quaestionem instituamus, e re videtur paulo accuratius disserere quid apud Herodianum significent voces illae Ἑλληνικὸν et βάρβαρον, praesertim cum non semper eandem earum vim esse statim appareat.

Primum igitur βάρβαρα vel ξένα vel βαρβαρικὰ[1] appellantur apud Herodianum vocabula e barbararum gentium dialectis in Graecum sermonem recepta veluti I, 351, 19 τὸ Πάσχα βάρβαρον, διὸ καὶ ἄκλιτον et I, 354, 4: τὸ γὰρ κίκι εἶδος ἐλαίου παρ' Αἰγυπτίοις.... στάχι σύνηθες Αἰγυπτίοις οὐχ Ἑλληνικά, ξένα δέ et II, 920, 16: τὸ γὰρ παρὰ τῷ Ἰόβᾳ κείμενον βαρβαρικὸν ὄνομα Νάβωμος διὰ τοῦ μ γράφεται. Neque vero mirandum est Romana vocabula in Graecum sermonem translata ab Herodiano vocari barbara veluti I, 351, 20: τὸ φάβα καὶ αὐτὸ βάρβαρον, εἰ καὶ κλίνοιτο; nam etsi, ut ex ipso Herodiano II, 661, 2 comperimus, fuerunt qui Romanos colonos Aeolensium dicerent eorumque

[1] Nunquam, quantum scio, peregrina vocabula Herodianus appellavit ἐθνικὰ, ut alii grammatici, praesertim posteriores ea appellare consueverant (cfr. Eustath. p. 1854, 14); apud Herodianum illud ἐθνικόν semper significat nomen gentilicium.

sermonem ex Aeolica dialecto propagarent, tamen propterea quia Romanam dialectum non intellegebant Graeci, nisi data opera ei noscendae incumbebant, Romanos quoque ab eis in barbarorum numero habitos esse satis constat.[1]

Cum ea autem quam adhuc statuimus vocis βάρβαρον significatione admodum pugnat locus qui est apud Herodianum II, 388, 10 sq., quem cum summi momenti sit ad doctrinam Herodiani intellegendam totum apponam: ἀνήγκακα· ἰστέον ὅτι βάρβαρόν ἐστιν οὐχ εὑρισκόμενον παρ' Ἕλλησιν ἐν χρήσει, ὡς λέγει Ἡρωδιανός. μόνῃ γὰρ τῶν Ἀλεξανδρέων δημώδει συνηθείᾳ εὑρίσκεται. λέγουσι δέ τινες Ἀττικὸν εἶναι· ὅπερ οὐκ ἔστιν. οὐ γὰρ ἔχει ἐν τῇ πρώτῃ καὶ δευτέρᾳ συλλαβῇ τὸ αὐτὸ σύμφωνον. γίνεται δὲ ἀπὸ τοῦ ἀναγκάζω ἀναγκάσω καὶ ἠνάγκακα καὶ καθ' ὑπερβιβασμὸν ἀνήγκακα. δύναται δὲ καὶ σύνθετον εἶναι ἀπὸ τοῦ ἀγκάζω τὸ ταῖς ἀγκάλαις λαμβάνω καὶ ἐκ τούτου ἀγκάσω ἤγκακα καὶ μετὰ τῆς προθέσεως ἀνήγκακα.

Hic igitur βάρβαρος vocatur neque apud Ἕλληνας in usu fuisse affirmatur forma ἀνήγκακα quae, ut ipse tradit Herodianus, vigebat in sermone vulgari (δημώδει) Alexandrinorum. Alexandrinos autem non barbaram gentem fuisse neque ab Herodiano, qui ipse erat Alexandrinus, pro barbaris haberi potuisse nemo erit qui neget. Itaque ne illud ἀνήγκακα quidem propterea barbarum ab Herodiano dictum esse sumi potest, quia e barbarae cuiusdam gentis sermone in Graecum sermonem transierat; immo nihil restat nisi ut concedamus technicum hanc formam propterea barbaram dixisse quia in solo vulgari Alexandrinorum sermone, i. e. in eo quo vulgus utebatur, non utebantur

[1] Quamquam nonnihil discriminis fecisse Herodianum inter Romanorum sermonem et ceterarum peregrinarum gentium dialectos ipsa singulorum, ubi commemorantur, locorum comparatio nos docet. Nam plurimarum exterarum nationum dialecti dicuntur φῶναι vel γλῶσσαι, veluti Syrorum, Lydorum, Hebraeorum, Indorum aliorum (cfr. e. g. II, 331, 1 etc.); sola Romanorum dialectus appellatur διάλεκτος, prorsus ut Graecorum sermo (cfr. II, 13, 22: ἡ μέντοι νῦν συνήθεια ἀπὸ τῆς τῶν Ῥωμαίων διαλέκτου πολλὰ ἐπίσταται διὰ τοῦ αριον ἐκτεταμένα). Hinc nostro iure efficere poterimus Romanorum sermonem, etsi et ipse barbarus dicebatur, tamen solum dignum habitum esse ab Herodiano, qui cum Graeco sermone compararetur.

docti atque eruditi homines neque scriptores Alexandria orti, vigebat. Itaque ex loco supra allato apparet vulgarem Alexandrinorum dialectum Herodianum barbaram putavisse neque qui ea utebantur, in Hellenum numero eum duxisse.

Quod ex hoc loco effecimus, optime comprobatur eis quae sunt I, 245, 7: τὸ δὲ ταῶς ἀπὸ τοῦ ταός, ὥς τινες βούλονται, οὐκ ἠδύνατο εἶναι, ἐπειδὴ τὸ ταός διὰ τοῦ ος οὐκ ἔστι σύνηθες τοῖς Ἕλλησιν, collato loco qui est I, 109, 5 τὸ μέντοι ταός παρ' Ἀλεξανδρεῦσιν ἀντὶ τοῦ ταῶς σεσημείωται.

Quem locum ut intellegamus necessarium est ad exemplum loci de voce ἀνήγκακα supra commemorati pro verbis παρὰ τοῖς Ἀλεξανδρεῦσιν subaudire ἐν τῇ τῶν Ἀλεξανδρέων δημώδει συνηθείᾳ; qua accepta interpretatione apparet his locis de voce ταός prorsus eodem modo quo superiore loco vulgus Alexandrinum ex Hellenum numero excipi atque vulgarem Alexandrinorum sermonem opponi Hellenico. Itaque ne ταός quidem ab Herodiano pro Hellenica, sed pro barbara voce habitam esse putabimus. Neque enim quin hoc sumamus, impedit quod forma ταός hodie apud unum Graecum scriptorem invenitur, nimirum apud Pollucem 6, 52; nam Pollux post Herodianum scripsit.[1]

Denique ut his locis aperte, sic tacite Hellenum usui vulgarem Alexandrinorum sermonem opponi puto loco qui est I, 209, 2: τὸ γὰρ κροσσός οὐκ οἶδα σύνηθες τοῖς Ἕλλησιν. Quodsi quaerimus, ubi vox κροσσός hodie inveniatur, videmus apud nullos eam exstare scriptores nisi apud eos qui post Herodianum fuerunt; primus enim, quantum scimus, ea usus est Pollux 7, 64. Quae cum ita sint, facile adducimur, ut propterea hanc vocem in usu Hellenum fuisse Herodianum negasse putemus quia ipsius aetate scriptores hac voce nondum usi erant, sed in sola quadam vulgari dialecto vigebat. Neque ex quanam vulgari dialecto sit deprompta, difficile est diiudicatu. Nam cum primus Pollux ea usus sit qui fuit Naucratita, satis probabile est hanc vocem Alexandrinae vulgaris dialecti fuisse

[1] Olim apud Athenaeum 5, 201 B loco ex Callixeino Rhodio desumpto legebatur forma ταοί ex auctoritate codicum AC, quae forma apud Kaibelium recte in ταῴ est mutata. Illud ταοί sine dubio debetur neglegentiae librarii cuiusdam formam saeae aetatis atque dialecti propriam in Callixeini locum inferentis.

propriam, praesertim cum eundem primum voce ταός, quae et ipsa erat propria Alexandrinorum vulgaris sermonis, usum esse supra cognoverimus. Est sane etiam alia huius loci explicandi via, quam tamen sequi mea quidem sententia nullo modo licet. Nam nonnullis locis, quibus hodie vox κροσσός exstat, non per duo σ, sed per unum scribitur veluti in E. M. p. 541, 6 et 27 in altero codice et in Arist. schol. ad vesp. v. 473 in cod V. Itaque fortasse quis putaverit Herodianum illud κροσσός Hellenibus ignotum fuisse idcirco contendisse quia ubique hanc vocem per unum σ scribendam putavisset. Sed si hoc significare voluisset, sine dubio dixisset: τὸ γὰρ κροσσὸς διὰ δύο σσ οὐκ οἶδα σύνηθες τοῖς Ἕλλησιν. Deinde etsi nonnunquam κροσός scribitur, tamen multo crebrior est scriptura κροσσός, quae invenitur Et. M. 540, 23, Et. Gud. 689. 32 apud Eustath. 600, 23. 602, 46. 603, 21. 976, 28, apud Hesych. s. v. κροσσός, atque adeo iis locis, ubi κροσός scribi vidimus, a nonnullis codicibus praebetur scriptura κροσσός veluti in Et. magni locis 541, 6 et 27 a codice V et in scholiorum ad Arist. loco commemorato ab omnibus praeter codicem V libris. Itaque mihi quidem dubium non est quin vera huius vocis scriptura fuerit κροσσός, Herodianus autem eam Hellenibus abiudicaverit, quia ipsius aetate in sola Alexandrinorum vulgari dialecto vigebat.

Tribus igitur locis de vocibus ἀνήγκακα, ταός, κροσσός consentientibus hoc certissimum mihi videtur Alexandrinorum vulgarem dialectum non Hellenicam, sed barbaram putavisse Herodianum; cum autem quod de Alexandrinorum vulgari dialecto valet, cur non idem de ceteris vulgaribus dialectis valeat, causa nulla sit, optimo iure contendere possumus id discriminis fecisse Herodianum inter hominum eruditorum sermonem et inter vulgares dialectos, ut illum solum Hellenicum diceret, has barbaras utque homines vulgari sermone usos non in Hellenum numero neque Hellenismi, ut veteres dicebant grammatici, fontes auctoresque putaret, sed solos eruditos doctosque.

Quae cum ita sint, iam illud quaeritur quanam usus ratione et norma Herodianus dialecti cuiusdam voces alias plebeio vulgarique sermoni, alias eruditorum sermoni tribuerit. Quodsi de suae tantum aetatis sermone egisset Herodianus, in hac re nihil dubius esse poterat; tum enim ipsa loquendi consuetudo,

utrum quaedam eruditorum sermoni conveniret necne, cum edocere poterat. Longe aliter autem res se habet, si, ut fit apud Herodianum, simul de antiquorum temporum dialectis quaestio instituitur. Nihil enim in hac re ex suae aetatis usu eum diiudicare potuisse statim apparet, cum facile fieri potuerit, ut vox quaedam a suae aetatis dialectis aliena olim in eruditorum sermonem esset recepta; quare alia diiudicandi norma erat quaerenda. Neque vero facile aliter rem poterat instituere nisi ut ea, quae apud antiquarum dialectorum scriptores repperiebantur, eruditorum hominum propria fuisse statueret, quae vero apud scriptores non inveniebantur maximeque quae ab usu scriptorum abhorrebant, omnia vulgari sermoni assignaret et propterea barbara diceret. Atque hanc re vera fuisse veterum grammaticorum maximeque Herodiani doctrinam inde efficere licet, quod, ubicumque de grammaticis rebus[1] sermo fit, vox "Ἕλληνες, si ad antiquos pertinet Graecos, nullos nisi scriptores Graecos significare semper potest, nonnunquam sumi debet. Quod qui apertissime demonstrant loci, hi fere sunt: Primum hanc vocis "Ἕλληνες explicationem flagitat locus qui est II, 56, 21 sq.: ἤμην· ὃ σπανίως εὑρίσκεται κατὰ τὴν χρῆσιν τῶν Ἑλλήνων, οὗ τὰ ὑποδείγματα δίδομεν ἐν τῷ περὶ τῶν εἰς μι. Quodsi eos omnes locos afferre voluit Herodianus, ubi forma ἤμην usi sunt Hellenes, necessario hoc loco illud "Ἕλληνες intellegendi sunt scriptores Graeci. Porro si loco qui est II, 212, 13 sq. de voce Κέρκυρ, Herodianus quaerens, ἀλλὰ τί εἰρήκασιν "Ἕλληνες, sibi ipse respondeat: Ἀλκμάν φησι etc., hinc quoque illud "Ἕλληνες non nisi ad scriptores Graecos referendos esse verisimile fit; neque aliter res se habet II, 936, 8, ubi, cum de usu Hel-

[1] Excipiendi sane sunt ii loci, quibus de quaestionibus historicis vel geographicis, quas haud raro tangit Herodianus, sermo fit; quibus locis si vox "Ἕλληνες invenitur, nihil aliud significat nisi, ut apud ceteros scriptores Graecos, homines in certa quadam regione habitantes. Atque haud scio an huc potius quam ad grammaticorum doctrinam pertineant etiam loci quales sunt II, 872, 27: Ἀρταία, Περσικὴ πόλις.... ἀρταίους δὲ Πέρσαι ὥσπερ οἱ "Ἕλληνες τοὺς παλαιοὺς ἀνθρώπους, ἥρωας καλοῦσιν; nam tales quoque locos Herodianus plerosque ad verbum ex geographicis scriptoribus desumpsit. Ceterum quin his quoque locis illud "Ἕλληνες scriptores Graecos intellegamus, nihil saltem obstat.

lenum sermo fiat, exempla non nisi ex scriptoribus desumpta afferuntur. Luculentissime autem vocem Ἕλληνες anaximeque illud παλαιοὶ Ἕλληνες apud Herodianum solos scriptores Graecos complecti demonstrare licet ex libro περὶ μονήρους λέξεως, quem solum integrum aut maiore ex parte integrum ex ingenti scriptorum Herodiani, ut ait Priscianus, pelago nobis servatum esse admodum gaudemus. Cuius libri compluribus locis commemorantur voces quas ἐν ἱστορίᾳ κεῖσθαι vel καθ' ἱστορίαν ἔχεσθαι dicit Herodianus: quae omnes voces diserte opponuntur eis quae in usu Hellenum sive veterum Hellenum reperiuntur, ut apertissime factum est primum II, 919, 15: τὸ δὲ Σῦρ οὐ σύνηθες παρὰ Ἕλλησιν, ἀλλὰ ἱστορίας ἐχόμενον, quo cum loco velim conferas quae leguntur II, 910, 12: τοῦτο (scil. τὸ Σῦρ) ἀπεξενωμένων ἐστὶ καὶ ἐν ἱστορίᾳ κείμενον ἀγνοούμενόν τε καὶ τῇ τῶν παλαιῶν Ἑλλήνων χρήσει καὶ τῇ συνηθείᾳ, deinde II, 919, 33 sq.: οὐδὲν δ'ὅτι οὖν ὤφθη δισύλλαβον εἰς α λῆγον τῇ ου διφθόγγῳ παραληγόμενον ὁμοίως ἐν χρήσει τῇ τῶν παλαιῶν (scil. Ἑλλήνων) καὶ τῇ συνηθείᾳ, εἰ μὴ μόνον τὸ μοῦσα. τὸ γὰρ Δοῦσα κύριον καθ' ἱστορίαν ἐστὶ λεγόμενον ἥ τε Χοῦσα πόλις Αἰγυπτίων, denique II, 911, 3: τὸ δὲ Φλεὺς ἐπὶ τοῦ Διονύσου κείμενον, ὡς ἐν ταῖς ἐπικλήσεσιν εὕρομεν, καθ' ἱστορίαν ἐστὶν εἰρημένον, qua de voce Choeroboscus ad Theod. can. 209, 6 sine dubio Herodianum secutus haec tradit: ταῦτα δέ, φημὶ τὸ Φλεὺς καὶ.... οὐδὲ συνήθη εἰσὶ τοῖς Ἕλλησιν. Itaque quodcumque illud ἱστορία his locis significat, qua de re satis difficili nunc quaerere nolo,[1] hoc pro certo affirmare posse mihi videor, quae vox in historia posita esse dicitur, hanc ab Herodiano ab usu τῶν Ἑλλήνων prorsus alienam habitam esse. Qua re bene constituta videamus quaenam vocabulorum genera contineantur vocibus eis quae ad historiam pertinere dicuntur. Quae voces sunt hae:

Σῦρ cfr II, 910, 1159. et II, 919, 15
Φλεύς cfr. II, 911, 3

[1] Quae Lehrsius in aduot. ad libr. περὶ μον. λέξ. p. 4 (fin) (Herod. script. tria emendat. p. 11) ad explicandam vocis ἱστορία significationem attulit, minime sufficiunt atque adeo perversa sunt. Quae autem ipse de hac re mihi inveuisse videor, fortasse alio loco me publici iuris facere posse spero.

Δοῦσα et Χοῦσα cfr. II, 920, 2, quos locos omnes iam supra commemoravimus.

Praeter has voces in numero earum, quae καθ' ἱστορίαν dictae sunt, vocum habendam puto etiam vocem Δνεύς, quae, ut nunc locus, ubi invenitur, apud Herodianum legitur, huc non pertinet. Est enim locus hic: II, 911, 4: [τὸ Ζεὺς μονῆρες ἐστίν]... τὸ [γὰρ] Φλεὺς... καθ' ἱστορίαν ἐστὶν εἰρημένον· τὸ δὲ «μὴ Δνεὺς χίμαιραν, ἄκριον ὀφλήσεις» ἐθνικόν. Quae verba si sana essent, inde efficiendum esset illud Δνεύς propterea quia ἐθνικόν i. e. nomen gentilicium, esset, negligi ab Herodiano. Sed haec negligendi causa nequaquam potest fuisse, cum ipse Herodianus plurimis huius libelli locis gentilicia nomina diligenter respiciat veluti II, 913, 5. 918, 12 etc. Accedit quod apud Choeroboscum ad Theod. 209, 6 Δνεύς una cum vocibus Φλεύς et Νεύς ita coniunctum est, ut tria illa vocabula eiusdem generis voces esse facile inde suspicari liceat; dicit enim Choeroboscus: ταῦτα δέ, φημὶ τὸ Φλεὺς καὶ Νεὺς καὶ Δνεὺς οὐδὲ συνήθη εἰσὶν τοῖς Ἕλλησιν.[1] Quibus rebus commoveor, ut pro verbis traditis εἰρημένον τὸ δέ scribendum censeam deleta interpunctione quae apud Lentzium post εἰρημένον posita est, εἰρημένον τό τε... Tum enim Δνεύς quoque καθ' ἱστορίαν dictum esse testatur Herodianus eodem prorsus verborum ordine usus qua II, 920, 1: τὸ δὲ Δοῦσα... καθ' ἱστορίαν ἐστὶν εἰρημένον ἥ τε Χοῦσα πόλις Αἰγυπτίων.

Quare si omnia complectimur, quinque vocabula in historia posita esse ab Herodiano dicuntur, nimirum Σῦρ, Φλεύς, Δνεύς, Δοῦσα, Χοῦσα. Quarum vocum statim duo distinxeris genera, nimirum alterum earum quae ex barbaris dialectis sunt oriundae veluti Σῦρ, Χοῦσα, Δνεύς, alterum earum quae sunt Graecae originis. Illas nunc non curamus; huius autem generis certum exemplum est vox Φλεύς, quod, ut ex Etym. M. 796, 43 cognoscimus, est cognomen Dionysi in Chio insula adhibitum et sine dubio ductum a Graeca stirpe φλέω. Itaque quamquam illud

[1] In Etym. M. p. 189, 43, ubi idem locus exstat, qui apud Choeroboscum l. c. invenitur, sane solae voces Φλεύς et Νεύς ab Hellenibus non adhibitae esse dicuntur: τὸ δὲ Φλεὺς καὶ Νεὺς οὐδὲ συνήθη εἰσὶν Ἕλλησιν. Sed multo verisimilius est in Etym. M. propter vicinam vocem Νεύς illud Δνεύς excidisse, quam Choeroboscum suo arbitrio addidisse καὶ Δνεύς.

Φλεύς est Graecum vocabulum a Graecis adhibitum, tamen ab Herodiano in historia positum esse dicitur et quod idem valere vidimus, ab Choerobosco in usu τῶν Ἑλλήνων fuisse negatur; quod omnino intellegi non potest nisi sumimus illud Ἕλληνες apud Herodianum non nisi scriptores Graecos complecti, illud Φλεύς autem etsi insulae Chii incolis notissimum erat, tamen in scriptorum Graecorum usum nunquam transiisse.

Unus autem locus huic vocis Ἕλληνες interpretationi obstare videtur, qui est apud Herodianum II, 224, 21 sq.: κεκλίαται · οὐκ ἄρα ἀπὸ τοῦ κλίνω, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ κλείω, κλείσω, ὁ παρακείμενος κέκλειμαι χωρὶς τοῦ σ· οὐδέποτε γὰρ μετὰ τοῦ σ τοῦτο λέγουσιν οἱ Ἕλληνες (vel ut in Etym. M. traditum est, χωρὶς τοῦ σ παρ' Ἕλλησιν). Hic igitur Hellenes nunquam κέκλεισμαι dixisse dicuntur, quamquam si nostrorum codicum auctoritatem sequimur, illud κέκλεισμαι non raro apud scriptores Graecos nec non Atticos invenitur, ut facile cognoscere poteris ex Stephani thesauro s. v. κλείω et ex Ellendti lexico Sophocles s. v. κέκλειμαι. Quid igitur? Putabimusne Herodianum Atticos scriptores non in Hellenum i. e. scriptorum Graecorum numero habuisse? Quod cum omni probabilitate careat, potius illud sumendum est Herodianum iis omnibus locis, ubi hodie κέκλεισμαι exstat, κέκλειμαι aut legisse aut legendum censuisse.

Ut autem illud sumam, me movet quod Herodianus iustiorem et analogiae magis convenientem formam putavit κέκλεισμαι, ut apparet ex Choerob. p. 682, 21, quem locum magna ex parte ex Herodiano desumptum esse Lentzius quoque concedit II, 811 adn. ad C. 2, ubi haec sunt: κέκλειμαι, δέον δὲ κέκλεισμαι, ἀφ' οὗ τὸ ἐκλείσθην. Quodsi Herodianus ab analogia κέκλεισμαι flagitari putavit, certe si κέκλεισμαι in codicibus invenisset, hanc formam mutandam non censuisset. Accedit, quod in Epim. Cram. s. v. κέκλιται dicitur: κέκλειμαι· πάντες Ἀττικοὶ ἄνευ τοῦ σ, quo loco ipsos Atticos, apud quos hodie haec forma vel maxime reperitur, κέκλεισμαι unquam dixisse diserte negatur. Itaque si Herodianum sequimur, assentiendum est Cobeto aliis, qui formam κέκλεισμαι ex Atticorum textibus ubique eiecerunt.

Quare cum illud παλαιοὶ Ἕλληνες nullos nisi scriptores Graecos apud Herodianum designet, formas a scriptoribus alienas omnes, ne iis quidem exceptis quae in inscriptionibus lege-

bantur, pro vulgaribus et propterea barbaris Herodianum habuisse necesse est sumamus; qua cum re consentit quod cum scriptorum locos diligentissime colligeret (cfr. e. q. locum de voce ἀμυγδαλῆ I, 321, 21 sq.) ne semel quidem, ut infra docebimus, inscriptionis ullius ex lapidibus desumptae fide usus est.

Quae cum ita sint, satis certum mihi videtur Hellenici sermonis vel Hellenismi ut veteres grammatici dicebant, in universum nullum[1] admisisse Herodianum fontem nisi aut politum eruditorum suae aetatis hominum sermonem quo ipse in loquendo utebatur aut scriptores Graecos, hos tamen ad unum omnes. Neque enim ullam unquam vocem Hellenicam esse negat propterea quia apud unum tantum exstat scriptorem neque in ceterorum scriptorum usum abiit, neque solos Atticos scriptores respexit, sed etiam ceterarum dialectorum auctores, neque solos antiquiores, verum etiam recentiores. Aeolenses enim e. g. eum in Hellenum numero habuisse efficitur ex loco qui est II, 929, 24 sq.: δίδωμι· οὐδὲν τῶν εἰς μι ληγόντων ῥημάτων τῆς τρίτης συζυγίας κατὰ χρῆσίν ἐστιν Ἑλλήνων ἐπὶ ἐνεστῶτος, ἀλλὰ μόνον τὸ δίδωμι· νῦν γὰρ παραιτούμεθα τοὺς Αἰολεῖς. Nam cum hic Aeolenses nominatim excipiat, sequitur eum voces quae apud solos Aeolensium scriptores inveniebantur, in Hellenum usu fuisse arbitratum esse. Qua in re multum Herodiani sententia recedit a pluribus grammaticis vel suae aetatis vel paulo antiquioribus. Neque enim omnes, ut ex Sext. Emp. adv. grammat. p. 645 sq. cognoscimus, eosdem quos Herodianus, statuebant

[1] Unum tamen vocabulorum genus est, quod quamquam in usu Hellenum nusquam reperitur, tamen non barbarum ab Herodiano dici poterat, dico voces καθ' ὑπόστασιν. Nam formae καθ' ὑπόστασιν vel ὑποστάσεις a veteribus grammaticis dicuntur formae eae quae propter analogiam ab ipsis grammaticis finguntur, veluti formam γίγνωμι, ut haberent, unde aoristum ἔγνων derivarent, necessario fingendam ex analogia verbi δίδωμι putabant. Quae formae, etsi in usu Hellenum eas nusquam exstare ipse Herodianus pluribus locis testatur (cfr. II, 923, 22 et II, 928, 26) tamen barbarae nunquam ab eo dicuntur neque facile dici poterant. Nam longe alia ratio est formarum vulgarium et formarum καθ' ὑπόστασιν. Illae enim utrum scriptoribus omnino cognitae fuerint, necne, nihil Herodianus curabat; has scriptoribus omnes cognitas fuisse, sed, ut ipse dicit, propter hanc illamve causam ab eis σεσιγῆσθαι vel omnino eas ἐπιλελοιπέναι i. e. ex usu evanuisse sumpsit.

Hellenismi fontes; immo fuerunt qui, velut Pindario, solum Homerum ἑλληνίζειν contenderent et secundum unius Homeri consuetudinem totum Graecum sermonem esse constituendum censerent.

Deinde multum interest inter Herodianum et eos grammaticos qui omne de hellenismo iudicium ex analogia pendere dicebant (cfr. Sext. Emp. p. 640 in.); immo ipse ante omnia scriptorum vestigia premenda neque adeo analogiae obtemperandum esse, ut eius gratia formae traditae immutarentur, cum aliis locis est professus tum hoc (II, 739, 24 sq.): ἡμάρτηται ἄρα ἡ βήξ, βηχός· τινὲς δὲ εἶπον καὶ βηκός· ἀλλ' οὐχ εὕρηται ἐν χρήσει· δεῖ δὲ κατὰ πάντα τὰ τῆς χρήσεως φωνὰς τηρεῖν. Neque magis consentit vocis βάρβαρος significatio qualem eam apud Herodianum deprehendimus, cum usu vocis «barbarismus» qualis exstat e. g. apud Quintilianum qui formas, quales sunt «gnatus», barbarismos dicit, addit tamen, si apud poetas reperiuntur, non barbarismos eas dici, sed metaplasmos. Formas enim a poeta quolibet usurpatas nunquam barbaras appellavit Herodianus. Denique vix est quod moneam prorsus alienum ab Herodiano esse usum vocis Ἕλληνες qualis invenitur apud Phrynichum, Moeridem, Thomam Magistrum qui Ἕλληνες non nisi recentiores scriptores intellegunt oppositis praesertim Atticis.

Magis ad Herodiani doctrinam quadrat, quod Sext. Emp. (p. 647) eum βαρβαρίζειν dicit, qui voce in sola Alexandrinorum dialecto vigente velut ἀπελήλυθαν pro ἀπεληλύθασιν utatur; neque longe ab Herodiano recedit ex latinis grammaticis Consentius qui initio artis suae «de barbarismis et metaplasmis» duas vocis «barbarum» significationes accurate distinguit, cum dicat V, 386, 18 sq. K.: «sed priusquam de metaplasmo subiungamus, admonere debemus aliud esse barbarolexin, aliud barbarismum. Barbarismus enim secundum definitiones superiores vel accentibus vel litteris vel syllabis vel temporibus vel aspirationibus peccat, sicut mox palam fiet. Barbaros autem lexis uno modo tantum intellegitur, cum ex aliena lingua in nostrum usum pars orationis inducitur.» Eundem autem in barbarismorum quos dicit numero etiam vulgares formas habuisse apparet ex exemplis barbarismi quae affert p. 391, 32 sq.: «Nos barbarismi exempla huiusmodi dabimus quae in usu cotidie loquen-

tium animadvertere possumus... per adiectionem temporis sic fit (barbarismus), ut si quis dicat piper producta priore syllaba quod vitium Afrorum familiare est . . . per mutationem fit barbarismus ut si quis dicat . . . stetim pro statim quod vitium plebem Romanam quadam dictionis novitatis affectione corrumpit.»

Quibus Consentius ad duo barbararum vocum genera discernenda usus est appellationibus, quin ad Graecos redeant grammaticos, mihi dubium non est; sed ab ipso Herodiano illum terminum «barbarolexis vel barbaroslexis» profectum esse vix sumi potest, quippe apud quem nusquam reperiatur. Quamquam ne ipsum Herodianum quidem tali diversorum vocabulorum generum, quae illud βάρβαρον complecti vidimus, distinctione facile carere poterat, etsi quomodo ea distinxerit, hodie difficile diiudicatu est, cum ipsa Herodiani verba nobis rarissime sint servata. Tamen hoc licet dicere vulgares voces semper barbaras dici, nusquam ξένας; contra voces ex alienis linguis oriundas cum βαρβάρους appellari tum ξένας. Quae autem voci βάρβαρον opposita est vox, nimirum Ἑλληνικόν, modo peregrinis vocabulis videtur opponi modo vulgaribus. Illud enim sine dubio factum est e. g. II, 78, 35: ὁ δὲ λόγος ἐπὶ Ἑλληνικῶν ὀνομάτων μή τις τὸ Ξόϊς καὶ Σάϊς Αἰγύπτια ὄντα καὶ παρ' Ἡροδότῳ λεχθέντα παράθηται; hoc autem factum puto II, 909, 19: εἴγε εἴσεται τὰς παρὰ τοῖς Ἕλλησι λέξεις πῇ μὲν καθ' ὁμοιότητα . . . ἐκφερομένας ἡ πάσης λέξεως Ἑλληνικῆς πρόνοιαν ποιοῦσα ἀναλογία, ubi cum in eadem re primum de vocibus παρὰ τοῖς Ἕλλησι, paulo post de vocibus Ἑλληνικαῖς loquatur Herodianus, illud Ἑλληνικαῖς nibil significare nisi voces quae apud Hellenes i. e. apud scriptores Graecos inveniuntur, in promptu est.

Quare cum constet Herodianum discrimen fecisse inter vulgarem scriptorumque sermonem alterum Graecum, alterum barbarum dicentem, nos quoque de utroque peculiarem quaestionem instituturi statim transeamus ad Herodiani rationem vulgaris sive δημώδους sermonis tractandi examinandam. Atque primum quidem quibus e fontibus vulgarium formarum cognitionem hauserit Herodianus, accuratius contemplemur. E tribus autem qui ei praesto erant, fontibus, nimirum inscriptionibus, eorum hominum qui hac illave dialecto in cotidiano sermone uti solebant, consuetudine, grammaticorum Graecorum qui vul-

garibus formis colligendis operam dabant, libris, tantum postremo eum usum esse facile ostendi potest. Nam inscriptiones eum prorsus neglexisse iam inde, ut supra monuimus, patet, quod nullius usquam tituli mentio facta est in reliquiis Herodianeis. Sane commemorantur nonnulla ἐπιγράμματα, veluti I, 46, 27. II, 887, 23. 936, 5; sed haec non ex lapidibus, sed ex scriptoribus esse desumpta, inde efficitur, quod omnia sunt carmina.

Neque secundum quem significavimus fontem, Herodianum data opera adiisse mihi quidem verisimillimum videtur. Nam quos quis ad contrariam sententiam defendendam attulerit locos Herodianeos II, 549, 3: Μεγαρικὸς κτητικόν· οὕτω δὲ καὶ τοὺς Μεγαρικοὺς κεράμους διὰ τοῦ ε χρὴ λέγειν, οὐ διὰ τοῦ α, ὡς οἱ ἔμποροι τὴν ἄρχουσαν παραφθείροντες et II, 866, 8: Ἀσκαλώνιος· παρὰ δὲ Εὐδόξῳ διὰ τῆς αι ἐν τῷ α· καὶ κατὰ τὴν τῶν Ἀλεξανδρέων συνήθειαν Ἀσκαλωναῖα κεράμια, hos nihil puto probare. Licet enim ex sermone cotidiano ab ipso Herodiano formae Μαγαρικὸς et Ἀσκαλωναῖα sint petitae, tamen, cum alter locus certe ad Alexandrinorum vulgarem dialectum pertineat, alterum eodem pertinere haud veri dissimile sit, ipse autem Herodianus fuerit Alexandrinus, minime ex istis locis effici posse apparet Herodianum plebis usui loquendi observando maiorem quandam et assiduam operam navasse; immo quae cotidie audiebat, ea etiam invito ei in mentem venisse mirum non est.

Itaque cum hos duos fontes Herodianus non respexerit, si quae ex vulgaribus dialectis affert, ea omnia ex libris petita sint necesse est.

Atque tales libri, unde vulgares formas cognosceret, varii et multiplices Herodiano suppetebant.

Primum enim plurima ad vulgares dialectos pertinentia inveniebantur in iis libris qui moribus, institutis, antiquitatibus publicis privatisque singularum gentium Graecarum enarrandis et inter se comparandis operam dabant; atque Herodianum talia scripta non neglexisse haud pauci loci demonstrant. Nam ut a deorum nominibus initium faciamus, quod II, 869, 40, ubi de voce ἀκρωρείτης sermo fit, Herodianus haec addit «παρὰ μὲν Σικυωνίοις ἐκαλεῖτο ὁ Διόνυσος Ἀκρωρείτης, παρὰ δὲ Μεταποντίνοις Ἐρίφιος» Ἀπολλόδωρός φησιν, dubitare non possumus,

quin haec desumpta sint ex libro Apollodori περὶ θεῶν, quem et ipsum commemorat Herodianus II, 874, 2. Deinde Creticae vocis Ὠλέρια, unde notionem petierit Herodianus, demonstrat locus qui est II, 883, 5 sq.: Ὤλερος Κρητικὴ πόλις, ὁ πολίτης Ὠλέριος καὶ Ὠλερία Ἀθηνᾶ καὶ τὸ οὐδέτερον Ὠλέριον. φησί γὰρ Ξενίων ἐν Κρητικοῖς· «τῇ δὲ θεῷ ταύτῃ ἑορτὴν ἄγουσιν Ἱεραπύτνιοι, τὴν δὲ ἑορτὴν Ὠλέρια προσαγορεύουσιν.» Plurima autem vulgaria deorum cognomina inventa esse probabile est in eis libris qui inscripti sunt ἐπικλήσεις i. e. deorum cognomina, qui et ipsi ab Herodiano sunt inspecti, ut apparet ex II, 911, 4: τὸ δὲ Φλεὺς ἐπὶ τοῦ Διονύσου κείμενον, ὡς εὕρομεν ἐν ταῖς ἐπικλήσεσιν, καθ' ἱστορίαν ἐστὶν εἰρημένον. Quare ex his vel similibus libris fluxisse puto quae praeterea deorum vel heroum cognomina apud varias gentes usitata commemorat Herodianus veluti II, 502, 10: Εἰραφιώτης ὁ Διόνυσος... καὶ λέγεται παρὰ Λάκωσι Ἐρίφιος. I, 171, 6: Ἴμβραμος· οὕτως Ἑρμῆν λέγουσιν οἱ Κᾶρες; II, 437, 5: κῖρις· λέγεται δὲ καὶ παρὰ Κυπρίοις Κῖρις ὁ Ἄδωνις.

Sed si ad res humanas transimus, primum ex geographorum et periegetarum libris multas remotissimarum dialectorum formas peaesertim ad urbium nomina eorumque etymologias spectantes desumpsisse Herodianus videtur. Nam omnino in urbium et gentium nominibus derivandis hanc sequitur normam et rationem, ut binas fere apponat etymologias, alteram, ut ita dicam, mythologicam, alteram dialecticam. Ut quid dicam, magis appareat, ex innumerabili exemplorum copia duo adscribam exempla: I, 186, 19 sq.: Ὄαξος πόλις Κρήτης, καθὰ Ξενίων, ἀπὸ Ὀάξου τοῦ Ἀκακαλλίδος τῆς θυγατρὸς τοῦ Μίνω· τινὲς δὲ διὰ τὸ καταγῆναι τὸν τόπον καὶ κρημνώδη ὑπάρχειν· καλοῦσι γὰρ τοὺς τοιούτους τόπους ἄξους καθάπερ ἡμεῖς ἀγμούς. et I, 388, 27: Τάβαι, πόλις Λυδίας· ἐκλήθη δ' ἀπὸ Τάβου ἥρωος· οἱ δέ φασιν Μαρσύαν κτίσαι Τάβας καὶ καλέσαι ἀπὸ τοῦ ἐπὶ πέτρας οἰκεῖσθαι· τάβαν γὰρ τὴν πέτραν Ἕλληνας μεθερμηνεύεσθαι.[1] Quae omnes etymologiae, ut

[1] Eodem modo duas olim etymologias propositas fuisse puto nominis urbis Γόννοι I, 174, 29: Γόννοι πόλις Περραιβίας ἀπὸ Γουνέως κληθεῖσα τοῦ ἀπογόνου Κύφου. οὕτως φησὶν Ὅμηρος. Αἰολεῖς ὄντες οἱ Περραιβοὶ ἐδίπλουν τὰ σύμφωνα Περραιβοὺς ἑαυτοὺς καλοῦντες καὶ Γόννοι διὰ τοῦ υν τὴν πόλιν. γόννα γὰρ

ipsa haec exempla docent, non ab ipso Herodiano sunt inventa, sed ex aliis libris, sine dubio geographicis vel periegeticis, exscripta.

Plurimas deinde vulgares formas Herodianus cognoscere poterat ex libris qui in describendis moribus et institutis versabantur. Quod quam verum sit, is statim intelleget qui Athenaei scripta adhuc servata percurret, ubi sescenta vocabula Cretica, Cypria etc. occurrunt ad ciborum, vestimentorum etc. appellationes spectantia. Atque adeo ex ipso Athenaeo Herodiani locum, qui agit de Cyrenaica voce ἧδος, emendari posse puto. Etenim apud Herodianum II, 905, 22 sq. haec sunt: ὄξος· ἐπιτέμνει παὶ κεντίζει ὡς εἰπεῖν τὴν γεῦσιν . . . Κυρηναῖοι δὲ τὸ ὄξος ἧδος λέγουσι κατ' ἀντίφρασιν; contra apud Athenaeum 2, 67 C haec leguntur: ὄξος· τοῦτο μόνον τῶν ἡδυσμάτων εἶδος καλοῦσιν οἱ Ἀττικοί, ubi pro εἶδος ἧδος auctore Casaubono oınnes editores iure scripserunt. Sed tum locus Athenaei cum Herodiano nullo modo potest coniungi; hoc enim vix credibile est et apud Athenienses et apud Cyrenaeos pro ὄξος ἧδος dictum esse, Herodianum autem tantum Cyrenaeorum, Athenaeum solorum Atticorum usum commemoravisse. Itaque mihi dubium non est, quin apud Herodianum pro Κυρηναῖοι scribendum sit Ἀθηναῖοι, quae corruptila facile nasci poterat. Confirmatur coniectura nostra etiam eo, quod vera Cyrenaeorum, ut Doriensium hominum, forma debebat esse ἇδος, non ἧδος.

Denique vulgarium formarum uberrimns fons erant glossographi qui permulti erant apud antiquos. Neque Herodianus eos neglexisse videtur, quamquam rarissime nunc quidem apud eum commemorantur.

Fit tamen I, 367, 3 sq.: Βρεντέσιον πόλις παρὰ τὸν Ἀδρίαν … βρέντον γὰρ παρὰ Μασσαπίοις ἡ τοῦ ἐλάφου κεφαλὴ ὡς Σέλευκος ἐν δευτέρῳ γλωσσῶν et II, 396, 13: κμέλεθρα· δεῖ γινώσκειν ὅτι τὸ

οἱ Αἰολεῖς τὰ γόνατα. Hic enim quid significet illud quod in fine additur: γόννα γὰρ οἱ Αἰολεῖς τὰ γόνατα, equidem non video. Nam illud tamquam alterum exemplum ad Aeolensium duplicandi morem probandum afferri mihi verisimile non videtur. Itaque haec verba olim pertinuisse puto ad dialecticam vocis Γόννοι etymologiam, qua ab Aeolica forma γόννα hanc vocem aliquo modo deductam esse contendebatur. Quare ante γόννα lacuna est statuenda.

κ πρὸ τοῦ μ οὐδέποτε εὑρίκεται ἐν ἀρχῇ λέξεως . . . λέγει δὲ ὁ Ἡρωδιανὸς τὸν Πάμφιλον ἀναγαγεῖν ἐν ταῖς γλώσσαις τὰ κμέλεθρα· σημαίνει δὲ τὰς δοκούς. et II, 891, 12: Ἆλος πόλις Ἀχαίας· τὸ ἐθνικὸν Ἀλεύς· Σοφοκλῆς δὲ Ἀλούσιος· τινὲς δὲ τῶν γλωσσογράφων Ἀλίους.[1]

Quamquam postremo loco γλωσσογράφων nomen iniuria in verborum contextum irrepsisse puto. Etenim mirum valde videtur, quod complures glossographi, qui ignotas tantum et remotas formas colligebant, formam Ἀλιοι, quae nihil habet proprii, attulisse dicuntur. Itaque non dubito quin pro γλωσσόγραφοι scribendum sit γέωργραφοι. Nam geographos unius eiusdemque urbis incolas alios alio saepe nomine appellasse cum aliunde constat tum plurimis Herodiani libri περὶ παρωνύμων probatur locis veluti II, 870, 26. II, 890, 40.

Postquam quibus ex fontibus cognitionem vulgarium formarum hauserit Herodianus vidimus, iam ad graviorem difficiliorem que quaestionem pervenimus, utrum eandem auctoritatem tribuerit Herodianus formis vulgaribus quam iis quae in libris et eruditorum sermone reperiebantur eisdemque utrasque subiectas legibus putaverit necne. Quam ad quaestionem solvendam paulo altius res est repetenda. Herodianum enim Aristarchi sectatorem et artis grammaticae (τέχνης) auctorem praeclarissimum fuisse satis constat; sed non omnes formas ad artem pertinere putabat. Nam cum ars duabus maxime rebus contineatur, nimirum analogiae legibus constituendis et vocabulorum etymologiis enucleandis, ut ab analogia initium faciamus, quasnam formas analogiae respiciendas putaverit Herodianus, ipse nos docet in libri περὶ μον. λέξ. praefatione, ubi haec sunt (II, 909, 17 sq.): εἴγε εἴσεται τὰς παρὰ τοῖς Ἕλλησι λέξεις τῇ μὲν καθ' ὁμοιότητα ἐν πλήθει ἐκφερομένας ποικίλας καθεστώσας ἢ σπανίους ἢ πάσης λέξεως Ἑλληνικῆς πρόνοιαν ποιοῦσα ἀναλογία. Hic igitur Herodianus diserte dicit analogiam curare τὰς παρὰ τοῖς Ἕλλησι λέξεις vel λέξεις Ἑλληνικάς. Cum autem vulgares formas quales sunt ἀνήγκακα, ταός, κροσσός ab Herodiano non inveniri in usu apud Hellenes contendi neque Hellenicas ab eo

[1] Zenodoti γλῶσσαι quae commemorantur e. g. II, 138, 2 nulla nisi Homerica vocabula, non vulgares voces comprehendisse videntur.

dici, sed barbaras supra viderimus, luce clarius est formas vulgares ab analogia Hellenicas curante formas nihil curari.

Deinde si singulos canones ab Herodiano constitutos perlustramus, haud raro fieri videmus, ut si qua vulgaris forma cum canone quodam pugnet, propter id ipsum quia vulgaris est vox neque scriptoribus Graecis cognita, negligatur ab Herodiano. Hoc enim primum docet locus de voce κροσσός quam vocem vulgaris Alexandrinorum dialecti propriam fuisse iam supra ostendimus (cfr. p. 2 sq.), quae de voce haec exstant I, 208, 26: θαυμαστὸν δὲ οὐδὲν, εἴπερ τὰ εἰς ος λήγοντα τῷ ο παραληγόμενα φιλεῖ ἓν ἔχειν τὸ σ εἰ μὴ κατὰ πάθος διπλοῦται ὡς τὸ τόσσος . . . τὸ γὰρ κροσσός οὐκ οἶδα σύνηθες τοῖς Ἕλλησιν. Vocem igitur κροσσός canoni de vocibus in σος exeuntibus repugnantem propterea non respici apparet, quia non cognita est Hellenibus. Itaque hinc omnia, quae non reperiuntur in usu scriptorum Graecorum, analogiae legibus non necessario subiectas esse secundum Herodianum, nostro iure efficare poterimus.

Neque aliter atque loco de voce κροσσός rem olim se habuisse puto loco de voce κμέλεθρον qui est II, 396, 12: κμέλεθρα: δει γινώσκειν ὅτι τὸ κ πρὸ του μ οὐδέποτε εὑρίσκεται ἐν ἀρχῇ λέξεως· τοῦ γὰρ πολύκμητος οὐχ εὕρηται ἐν χρήσει τὸ ἁπλοῦν αὐτοῦ ἤγουν τὸ κμητός· καὶ τὸ κέκμηκα, ὃ δηλοῖ τὸ κεκοπίακα, οὐκ ἔστιν ἀπὸ τοῦ κμῶ, ἀλλὰ ἀπὸ τοῦ κεκάμηκα· λέγει δὲ ὁ Ἡρωδιανός τὸν Πάμφιλον ἀναγαγεῖν ἐν ταῖς γλώσσαις τὰ κμέλεθρα (σημαίνει δὲ τὰς δοκούς). Hic igitur primum dicit Herodianus nunquam inveniri in initio vocabulorum litteram κ cum littera μ coniunctam; deinde affert voces nonnullas quae exceptiones huius canonis esse videantur neque tamen sint: nimirum vocem πολύκμητος, cuius simplex in usu non reperitur, et vocem κέκμηκα, quae secundum Herodianum non a κμῶ (ut Philoxenum statuisse verisimile est), sed a κεκάμηκα est derivanda. In fine denique additur Herodianum dixisse Pamphilum in Glossis attulisse vocabulum κμέλεθρον. Huius loci finem non integrum nobis servatum esse nemo, puto, negabit. Nam cum Herodianus initio dixerit nunquam (οὐδέποτε) vocem simplicem a litteris κμ incipere, vox simplex autem κμέλεθρον ab his ipsis litteris incipiat, necessario sumendum est, ut vocum κέκμηκα et πολύκμητος, sic vocis κμέλεθρον excusationem addidisse ipsum Herodianum. Quae

excusatio qualis fuerit, si quaerimus, nullam aliam facile invenire poteris nisi quod κμέλεθρον, quae vox hodie apud nullum scriptorem extat, est vox vulgaris sermonis propria (quod etiam Passow s. v. et Buttmann lexil. p. 265, 7 sumpserunt). Itaque in fine huius loci simile quid olim additum fuisse verisimile est atque in fine loci de voce κροσσός: τοῦτο δὲ τὸ κμέλεθρον οὐκ οἶδα σύνηθες τοῖς Ἕλλησιν.

Huc etiam pertinet locus de voce ταός, qui tamen sic ut traditus est, nullo modo ferri potest. Est enim hic (I, 109, 5) : τὰ εἰς ος καθαρὰ δισύλλαβα τῷ α μακρῷ παραληγόμενα ὀλίγα εἰσὶν καὶ ὀξύνεται μὲν ὅσα οὐ κύρια, μὴ δὲ ἐπιθετικά, παός καὶ πηός, ναός, λαός. τὸ Δᾶος ὡς κύριον βαρύνεται καὶ τὸ πρᾶος δὲ ἐπιθετικόν. τὸ μέντοι ταώς παρ' Ἀλεξανδρεῦσιν σεσημείωται. τὸ δὲ λᾶος παρὰ Σοφοκλεῖ ἀπὸ γενικῆς τῆς λᾶος εἰς εὐθεῖαν μετεποιήθη. Vox ταός igitur dicitur pugnare cum canone de accentu bisyllaborum appellativorum in ος exeuntium quae in priore syllaba productum α habent. Sed nonne vox ταός optime cum hoc canone consentit? Nam cum sit appellativum (significat enim pavonem), posterior syllaba, ut debet, acuto sono insignitur. Cur igitur excipitur? Itaque hoc loco aliquid turbatum esse manifestum est; duae autem sanandi rationes excogitari possunt. Aut enim suspicari licet Herodianum non ταός, sed τᾶος pronuntiasse; aut sumendum est vocabulum ταός iniuria in eum Arcadii locum, quem nunc obtinet, delapsum olim eo loco fuisse, ubi de vocibus bisyllabis in αος exeuntibus, quarum prior syllaba corripitur, sermo fit (apud Arcad. p. 40, 19 ed. Schmidt, apud Herod. I, 111 1, sq.), cuius canonis re vera est exceptio vox ταός, si quidem sumimus vocalem α in hac voce esse brevem. Atque hoc sumendum esse aperte sequitur ex loco Choerobosci p. 300, ubi haec sunt: καὶ λέγουσί τινες ὅτι ὤφειλεν εἶναι τεώς ὡς λαός λεώς· πρὸς οὓς ἔστιν εἰπεῖν ὅτι συνεσταλμένον ἔχει τὸ α. διά τοῦτο οὐκ ἐγίγνετο τεώς ὡς Οἰνόμαος. Accedit quod non solum hoc loco, sed etiam aliis omnibus, ubi vox ταός legitur, non circumflexo, sed acuto insignitur veluti apud Arcadium 39, 20 et Choerob. 300, 26 et Eust. p. 1271, 7 et apud Pollucem 7, 64. Itaque mihi quidem dubium non est, quin verba illa τὸ δὲ ταός... σεσημείωται olim in fine canonis de brevisyllabis in αος addita fuerint, deinde errore quodam librarii in eum, ubi nunc exstant, locum trans-

lata.[1] Sed si posterioris canonis re vera est exceptio vox ταός, certe hanc vocem canonem illum non infringere nulla alia re probabat Herodianus nisi quod, ut ipse alio loco dicit, ταός non erat σύνηθες τοῖς Ἕλλησιν, sed solius Alexandrinorum vulgaris dialecti proprium.

Quartus denique locus, ubi fortasse voces vulgares nonnullae excipiuntur nulla addita excusatione, exstare videtur II, 428, 21: Πᾶσα λέξις ἀπὸ τῆς βι συλλαβῆς ἀρχομένη διὰ τοῦ ι γράφεται, εἰ μή ἐστι κατὰ γλῶσσαν Λακώνων... πρόσκειται κατὰ γλῶσσαν Λακώνων διὰ τὸ βείδιοι· τοῦτο δὲ διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφεται· βείδιοι λέγονται οἱ ἄρχοντες παρὰ Λακεδαιμονίοις· βειέλοπες οἱ λεγόμενοι ἱμάντες. Hic igitur omnes voces a litteris βι incipientes per ι, non per ει scribi docetur exceptis vocibus βείδιοι et βειέλοπες quae Laconum dialecto tribuuntur. Quae voces utrum in sola vulgari Laconum dialecto fuerint an a scriptoribus quoque adhibitae sint, nescimus; quare incertum de hoc loco iudicium est. Ceterum ne hoc quidem loco genuina et integra Herodiani verba a Choerobosco nobis servata videntur.

Itaque cum vocum apud Graecos scriptores inventarum paralogarum semper excusationem aliquam diligentissime quaerat Herodianus, vocum vulgarium a canonibus abhorrentium eam ipsam excusationem esse videmus quod a scriptoribus non sunt adhibitae; unde hoc plane apparet voces vulgares necessario cum canonibus Graecae linguae consentire debere Herodianum minime putavisse. Sed adeo hoc licet quaerere, utrum eas ex vulgaribus vocibus quae consentiebant cum canonibus quos constituebat, una cum vocibus apud scriptores Graecos repertis inter canonum exempla attulerit an prorsus eas neglexerit ne commemoratas quidem. Nam in Herodiano qualis a Lentzio restitutus est, omnino rarissime vox quaedam vulgaris inter canonis alicuius exempla occurrit neque ii loci admodum pauci, ubi hoc fieri videtur, extra omnem dubitationem positi sunt. Sunt enim fere hi:

I, 342, 12: τὰ εἰς τη παραληγόμενα τῷ α ἢ τῷ η βαρύνεται, εἰ μὴ ἐπὶ δήμου τάττοιτο, πλάτη, μάτη... τὸ δὲ Βατὴ ἐπὶ τοῦ δήμου

[1] Fortasse verba illa τὸ δὲ ταὸς ... σεσημείωται in Arcadii archetypo non in ipso verborum contextu exstabant, sed in margine erant adscripta, unde facile librarii error explicatur.

τῆς Αἰγηΐδος φυλῆς ὀξύνεται. τὸ δὲ βάτη ἡ γῆ παρὰ Μεσσηνίοις βαρύνεται.

I, 203, 24 : τὰ εἰς κρος δισύλλαβα ἀπὸ συμφώνου ἀρχόμενα ὀξύνεται, μακρὸς, πικρὸς... λευκρὸς ὁ φαλακρὸς παρὰ Σαλαμινίοις.

I, 110, 5 : τὰ εἰς ειος δισύλλαβα ἐπιθετικὰ βαρύνεται λεῖος, μεῖος, θεῖος, ῥεῖος: nam ῥεῖος pro Cyprio vocabulo a grammaticis habitum esse docet II, 413, 9 : ῥεῖος ὁ ἀσθενὴς παρὰ Κυπρίοις.

I, 158, 1 : τὰ εἰς δύο λλ προσηγορικά, εἰ μὴ παραλήγοιεν τῷ ι καὶ πάντα τὰ τριγενῆ ὀξύνεται, μαλλός, φαλλός... τὸ ἴλλος, σίλλος καὶ βίλλος παρ' Ἐφεσίοις βαρύνεται.

II, 429, 3 : πᾶσα λέξις ἀπὸ τῆς γρι συλλαβῆς ἀρχομένη διὰ τοῦ ι γράφεται: οἷον γρίντης, γριπεὺς, γριφᾶσθαι· οὕτως λέγουσιν Λάκωνες τὸ γράφειν.

Nam etsi voces βάτη, λευκρὸς, ῥεῖος, βίλλος, γριφᾶσθαι vulgaribus, ut videtur, dialectis adscriptae hodie apud nullum exstant scriptorem, tamen ne Herodiani quidem temporibus eas in libris inventas esse nusquam dicitur; immo facile fieri potest, ut nonnullae saltem ex iis a scriptore nunc deperdito sint adhibitae, veluti illud βίλλος, si vera est coniectura Dindorfii ad locum Herodiani II, 918, 9 pro tradita voce φίλλος scribentis βίλλος apud Anacreontem inventum esse ipse tradit Herodianus; dicit enim φίλλος (+) παρὰ Ἀνακρέοντι τὸ ὄνομα. Nec non illud Cyprium ῥεῖος, quod ab Homerica voce ῥεῖα deductum docet Herodianus, et Salaminiorum λευκρός et Laconicum γριφᾶσθαι a scriptoribus adhibitum esse veri dissimile est. Aliis rursus locis num vocum vulgarium commemoratio ab ipso Herodiano profecta sit, satis incertum est; nam quae singulorum canonum exempla apud Herodianum proferuntur, ab Lentzio alia aliis locis sunt collecta. Sic enim illud Messeniacum βάτη, quod in solo Etym. M. servatum est, etiam apud Herodianum eo quo Lentzius vult loco commemoratum esse ne per se quidem probabile est. Nam quae in Etym. M. leguntur βάτην τὴν γῆν Μεσσήνιοι, nulla re ut ipse confitetur Lentzius, produnt Herodianeam originem.

Tamen in hac re dubitationis aliquid remanere negare nolo, praesertim cum facile fieri potuerit, ut excerptores vulgares maxime voces tamquam ignotas et remotas omitterent. Sed si re vera Herodianus vulgares formas quae cum analogia consentiebant, occasione data in quaestionibus analogicis respiciebat,

eas solas eum respexisse certissimum est, quae in glossographorum aliorumque libris commemorabantur; nam aliis vulgarium dialectorum fontibus nullis eum usum esse supra vidimus.

Ut autem ad alteram artis grammaticae partem transeamus, ad etymologiam et pathologiam, ne in etymis quaerendis et passionibus explicandis quidem vulgares formas multum curasse videtur Herodianus. Primum enim hoc pro certo licet affirmare ex Herodiani sententia nullum vocabulum a scriptoribus Graecis usurpatum derivari potuisse a forma vulgaris tantum dialecti propria. Id enim ut sumamus, nos cogit locus qui est I, 245,8: τὸ ταῶς ἀπὸ τοῦ ταός ὥς τινες βούλονται, οὐκ ἠδύνατο εἶναι, ἐπεὶ τὸ ταός διὰ τοῦ ος οὐκ ἔστι σύνηθες τοῖς Ἕλλησιν. Hinc enim efficitur omnes vulgares formas secundum Herodianum esse posteriores formis apud scriptores inventis et aliquo modo ab eis deductas. Simul autem videmus non omnes grammaticos idem de hac re sensisse; fuerunt enim iam ante Herodianum, qui ταός a ταῶς derivarent, etsi hoc eos minime fugere poterat illud ταός esse vocem vulgaris Alexandrinorum dialecti propriam. Paulo difficilius diiudicatu est, num suum putaverit Herodianus passiones quibus ex primitivis formis vulgares formae natae essent, explicare atque excusare. Hoc sane praestitit uno libri περὶ παθῶν loco qui est de voce ἀνήγκακα (II, 388, 10 sq.); sed cum hic unus certus sit locus et cum ipsi illi explicationi praemittat illud: ἰστέον δὲ ὅτι βάρβαρον etc., hic locus mihi potius hoc docere videtur in universum vulgarium formarum πάθη accuratius examinare eum non putasse necessarium, formam autem illam ἀνήγκακα propterea tantum explicasse, ut explicationes ab aliis falso, ut ipsi videbatur, prolatas refutaret. Accedit quod, ut ex II, 549, 3 apparet, (Μαγαρικοὺς (pro Μεγαρικοὺς) [λέγουσιν] οἱ ἔμποροι τὴν ἄρχουσαν παραφθείροντες) vulgares formas ex formis Graecorum scriptorum propriis παραφθορᾷ, i. e. depravatione et corruptela ortas esse putavisse videtur.

PARS POSTERIOR:

Quomodo de scriptorum dialectis iudicaverit Herodianus

Postquam de vocibus vulgaribus apud Herodianum commemoratis satis diximus, iam ad alteram huius capitis partem transituri videamus, quanam ratione ille tractaverit dialectos a scriptoribus adhibitas. Quot autem dialectos distinxerit Herodianus et quomodo quas distinxit diviserit, infra demum poterimus exponere; nunc ad solas Ionicam, Doricam, Aeolicam, Atticam, Bœoticam quas dicit Herodianus dialectos animum attendentes quid de harum dialectorum auctoribus atque proprietatibus docuerit, quaeramus.

Atque primum quidem dicendum est ipsa nomina Αἰολεῖς, Ἴωνες, Ἀττικοί, Δωριεῖς, Βοιωτοί etsi per se etiam vulgarem harum gentium dialectum designare possint neque Herodiani quoque paucis locis eas ad vulgarem sermonem pertinere negari possit,[1] tamen longe plurimis locis ad solorum scriptorum sermonem esse referenda, ut hinc quoque appareat Herodianum quamquam vulgarem illarum gentium et scriptorum sermonem eodem nomine appellavit, tamen re inter utramque semper distinxisse. Etenim si Herodianus II, 282, 7 sq. haec dicit: βόλιτον· βόλβιτον δὲ Ἴωνες οἵ τε ἄλλοι καὶ Ἱππῶναξ, nonne inde sequi videtur, ceteros Iones, qui cum Hipponacte comparantur, et ipsos scriptores Ionicos esse intellegendos? Gravior etiam est locus II, 644, 1: τέττιξ, τέττιγος διὰ τοῦ γ κλίνεται καὶ λέγει ὁ Ἡρωδιανὸς ὅτι τὸ κεχρεωστημένον ἀνεπλήρωσαν οἱ Δωριεῖς καὶ οἱ Ἀττικοὶ διὰ τοῦ κ κλίνοντες αὐτὸ οἷον τὸ τέττικος; ad quae Choeroboscus 300, 10 addit haec: ταῦτα δέ ἐστι τῆς δόξης ὅτι παρὰ Θεοκρίτῳ καὶ Ἀριστοφάνει διὰ τοῦ κ κλίνεται; ἡ δὲ παράδοσις τῶν ἀντιγράφων οὐκ ἔχει οὕτως, ἀλλὰ διὰ τοῦ γ. Itaque quia Theocritus et Aristophanes usi fuerint hac forma, propterea eam Atticis et Doriensibus adscribit Herodianus, unde efficitur illud Δωριεῖς et Ἀττικοί solos scriptores Atticos et Doricos complecti. His locis

[1] Sic enim vox Αἰολεῖς adhibita videtur I, 300, 29: μάσσαι γὰρ τὸ δῆσαί φασιν Αἰολεῖς in explicando nomine Μασσαλία et I, 174, 29: Αἰολεῖς ὄντες οἱ Περραιβοὶ τὰ σύμφωνα ἐδίπλουν in explicando nomine urbis Γόννοι, sic Ἀττικοὶ II, 528, 28 loco de voce σιροί. Tamen non multa id genus inveneris.

etiam addere possumus ea quae sunt II, 14, 29: τὸ μέντοι στρυφνὸς Ἀττικοὶ ἐκτείνουσιν· et II, 348, 2 sq.: τὸ πιάζω οἱ Ἀττικοὶ πιέζω καὶ Ἴωνες καὶ Αἰολεῖς, Δωριεῖς πιάζω ἀναλογώτερον et II, 313, 24: ὄϊδα παρ' Αἰολεῦσιν ἀντὶ τοῦ οἶδα; nam cur στρυφνός proprium Atticorum, πιάζω Doriensium, πιέζω et ὄϊδα Aeolensium propria dixerit, docent loci libri περὶ μον. λέξ., qui sunt II, 947, 1: σημειῶδες οὖν τὸ στρυφνός ἐκτεῖνον τὸ υ· οὕτως γὰρ ἀνέγνωμεν παρ' Ἀριστοφάνει et II, 949, 20 σημειῶδες ἄρα παρ' Ἀττικοῖς καὶ Ἴωσι λεγόμενον διὰ τοῦ ε τὸ πιέζω· προσέθηκα δὲ καὶ τὰς διαλέκτους, ἐπεὶ παρ' Ἀλκαίῳ διχῶς λέγεται, παρὰ δὲ Ἀλκμᾶνι διὰ τοῦ α et II, 930, 20: ὄϊδα οἱ περὶ Ἀλκαῖον τρισυλλάβως.

Itaque cum illud Δωριεῖς, Ἴωνες etc. plerumque scriptores harum dialectorum significare appareat, iam accuratius examinemus, quibus scriptoribus unius cuiusque dialecti auctoribus testibusque Herodianus sit usus vel quosnam scriptores puros certosque singularum dialectorum fontes habuerit. Neque enim hoc fugerat Herodianum permultos scriptores, praesertim poetas dialectos inter se miscuisse, ut quid unicuique dialecto sit tribuendum, ex eis cognosci non posset. Quod vel maxime secundum Herodianum valet de poetis epicis et elegiacis, eorumque duce Homero. Vix enim ulla est dialectus, cuius vestigia non sibi detexisse videantur apud hos scriptores cum ceteri grammatici tum Herodianus. Primum enim Ionicae dialecto apud epicos et elegiacos poetas tribuuntur haec:

ποσιδήϊον, παρήϊον I, 361, 5, Ἀτρείδεω similia I, 408, 11, ἐμεῦ I, 474, 18, ἀνὰ cum dativo I, 481, 2, πέρην I, 508, 4, εἴπεσκε similia I, 535, 36, (II, 496, 28), ἔα pro ἦν II, 53, 35. κηλέῳ II, 61, 3. εἴατο pro ἧντο II, 92, 15. ἁρμονιῇσιν pro ἁρμονίῃσιν II, 143, 10. ἔρχατο pro εἶρκτο II, 149, 5 (cfr. II, 223, 13 et II, 225, 1) μὲν pro μὴν II, 144, 19. πολιήτην II, 231, 17. Εκτόρεος pro Ἑκτόρειος similia II, 287, 7 ἐπίστεαι, φάο similia II, 298, 18. γήραος pro γήρατος II, 301, 16. νηπιέῃ pro νεπιείῃ II, 353, 2. πέζῃ II, 372, 9 (cfr. II, 350, 17) ἐπίστιον, οὐκὶ pro ἐφίστιον, οὐχί II, 379, 23. τάφος pro θάπος II, 382, 5. γρῆϋν, γρῆϋ II, 645, 29. Θέτιος, Πάριος II, 700, 2.

Deinde Doricas formas apud hos poetas Herodianus agnoscit has: Τύδης, Τύδη, pro Τυδεύς I, 14, 15. Τυδῆ pro Τυδέα I, 416, 8 (cfr. II, 95, 16) προφανεῖσας pro προφανείσας I, 430, 4—11 (adn.)

(cfr. I, 525, 31 et II, 617, 25) ἀμόν pro ἐμὸν vel ἡμέτερον I, 541, 15. γέντο II, 74, 30 ταί II, 176, 17. ἐγών II, 195, 17. εὖ pro ἑαυτοῦ II, 330, 30. τύνη II, 200, 17. τεόν II, 226, 19. χαρίες pro χαρίεις II, 278, 2.

Deinde Atticae apud epicos poetas dicuntur formae hae: ἔμοιγε II, 25, 28. ἐσσεῖται pro ἐσσεἰται II, 34, 9 δαμνᾷ II, 151, 12 ἕθεν II, 191, 26. τίθη, ἵστη II, 209, 5 ἐρήρεδαται II, 223, 20 ᾖα II, 312, 4. ἐκρέμω II, 371, 21 ἀλάλημαι II, 388, 19 ὦ ἥλιος pro ἥλιε similia II, 661, 40 ἥρῳ II, 714, 32 ἑπταετές II, 687, 31.

Porro Aeolicae formae reperiuntur apud epicos poetas secundum Herodianum hae: ζαῆν vel ζάην I, 59, 24 ἄρσαντες II, 24, 13. ὔμμες II, 26, 35. ἐγρήγορθαι II, 69, 17 δίδοισθα II, 111, 17. ἀκάχησθαι II, 141, 35 (cfr II, 142, 1) ἄμυδες II, 113, 17. πλάζετο II, 144, 8 ἐπασσύτεροι, ἀγύρει II, 364, 3 μείς pro μήν II, 669, 19. κνῆμιν, σφράγιν, ἄψιν pro κνημῖδα etc. II, 760, 80.

Neque Boeoeticae formae apud epicos poetas desunt secundum Herodianum veluti ἀγρεστᾶο II, 74, 39 ἐκόσμηθεν pro ἐκοσμήθησαν similia II, 237, 7. εἰλήλουθμεν pro εἰλήλυθμεν II, 274, 30.

Adeo Thessalicis formis nonnunquam epicos poetas usos esse sumpsit Herodianus veluti II, 28, 31 τὸ τοῖο προπερισπαστέον· τὸ γὰρ τοῦ Θετταλικῶς ἐπαυξηθὲν γέγονε τοῖο ὡς καλοῖο. atque Macedonicis veluti II, 376, 27: ἀμαλή ἡ ἁπαλή· ἡ δὲ λέξις Μακεδόνων ἐστίν (χ 310. υ 14) et II, 241, 2 κεβλὴ ἀπὸ τοῦ κεφαλὴ γίγνεται κατὰ συγκοπήν. cfr. An. Ox. II, 456, 29: κεφαλὴ οἱ Μακεδόνες λέγουσιν κεβλήν. (Callim. frg. 140) atque Siculis veluti I, 502, 9: ἁρμοῖ· ἔστι δὲ ἁρμοῖ Συρακοσίων ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ: ἁρμοῖ γὰρ Δαναοὶ γῆς ἀπὸ βουγενέων.

Sed quamquam omnes epicos elegiacosque poetas multarum dialectorum formas miscuisse sumpsit Herodianus, tamen in hac ipsa re haut parva inter recentiores veluti Callimachum, Apollonium et antiquiores maximeque Homerum secundum eum intercedit differentia. Nam cum recentiores omnibus dialectis usos esse statueret, ab Homero eum certas quasdam abiudicasse probari potest. Velim enim conferas hos locos: II, 344, 4: ὦλλοι ἀντὶ τοῦ οἱ ἄλλοι· αἱ τοιαῦται συναλοιφαὶ τῆς δευτέρας Ἰάδος εἰσίν, ᾗ Ὅμηρος οὐκ ἐχρήσατο. II, 673, 28: τὰ εἰς ευς λήγοντα διὰ τοῦ η καὶ ο παρὰ τοῖς ἀρχαίοις Ἴωσιν οἷον Ἀχιλλῆος· ὁμοίως παρὰ τοῖς ἀρχαίοις Αἰολεῦσιν· ἰστέον δὲ ὅτι τινὲς παρὰ τῷ ποιητῇ τὸ «αὐτὰρ

Φωκήων» διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφουσιν κατὰ τοὺς νεωτέρους Ἴωνας. οὐκ ἔστι δὲ εἰ μὴ κατὰ τοὺς παλαιοὺς Ἴωνας οἷς συνεχῶς κέχρηται ὁ ποιητής. II, 326, 12: ἀλλ' ἡ τοιαύτη κρᾶσις ἡ διὰ τοῦ η κατὰ τὸ τρίτον πρόσωπον τῆς νέας Ἀτθίδος ἐστὶν ἰδίωμα οἷον «ἐπεποιήκη ἐκεῖνος.» ἐπειδὴ δὲ εὑρίσκομεν παρὰ τῷ ποιητῇ χρήσεις τοῦ τρίτου προσώπου οἷον «ἤδη ἐκεῖνος» καὶ «ὃς ἤδη τά τ' ἐόντα...» καὶ πάλιν «νήπιος οὐδὲ τὰ ἤδη...» ὄντος δὲ τοῦ ποιητοῦ τῆς παλαιᾶς Ἀτθίδος, λέγομεν ὅτι Ἀριστάρχειόν ἐστι τὸ ἁμάρτημα· ὁ γὰρ Ἀρίσταρχος εἰδὼς τοῦτο τὸ ἰδίωμα τῆς νέας Ἀτθίδος ὑπάρχον οὐκ ὤφειλεν ἐᾶσαι αὐτὸ παρὰ τῷ ποιητῇ ὄντι τῆς παλαιᾶς Ἀτθίδος. Quibus ex locis satis dilucide apparet Homerum secundum Herodianum neque Ionica neque Attica recentiore dialecto usum esse, sed ubique vetustioribus harum dialectorum formis; quod confirmatur locis quales sunt : I, 108, 2: παός καὶ πηός, ναός καὶ νηός, λαός ληός τῇ μεταγενεστέρᾳ Ἰάδι τραπέν· παρ' Ὁμήρῳ δ' ἄτρεπτον ἔμεινεν. II, 34, 3: οὕτω συνθεσίαι ὡς θυσίαι· ὅσοι δὲ προπαροξύνουσιν, ἁμαρτάνουσιν. τῆς γὰρ μεταγενεστέρας Ἀτθίδος ἡ τοιάδε ἀνάγνωσις. (B 339.) II, 91, 32: τὸ μὲν ὁμοῖος ὡς ἀλλοῖος· τὸ γὰρ προπαροξύνειν ἦτς μεταγενεστέρας Ἀτθίδος (Ξ 321). II, 107, 18: Τυραννίων παροξύνει τὸ πίθεσθε, ἀγνοοῦν ὅτι μεταγενεστέρων Ἰώνων ἐστὶ τὰ τοιαῦτα πιθέσθε, λαβέσθε (Σ 266). Quibus omnibus locis quae sunt recentioris dialecti Ionicae vel Atticae propria, abiudicantur ab Homero, tribuuntur ei quae sunt antiquiori Ionicae et Atticae dialecto cognita. Quae cum ita sint dubitare non licet quin Lentzius erraverit quod locum libri περὶ παθῶν II, 265, 2 sq. auctoris nomine destitutum adscripsit Herodiano. Est enim hic: πεφυζότες. οἱ νεώτεροι Ἴω ες τῷ ξ ἀντὶ τοῦ γ χρῶνται ὅθεν καὶ τὸ φύγω φύζω καὶ τὸ πέφυγα πέφυζα καὶ τὸ πεφυζότες κατὰ τὴν αὐτὴν ἀντιστοίχειαν καὶ τὸ ὄλιγον ὄλιζον λέγουσιν. Hic enim cum illud πεφυζότες recentioribus Ionibus adscribatur, πεφυζότες autem haud raro apud Homerum inveniatur (Il 21, 6. 528. 532. 22, 1) apertissimum est haec ab Herodiano nullo modo posse profecta esse. Accedit quod aliis quoque in rebus hic locus a doctrina Herodiani abhorret; neque enim ὄλιζον Ionicum putavisse videtur, sed Thessalicum (II, 372, 2) et πεφυζώς prorsus diverso modo explicat II, 798, 14: καὶ τὸ πεφυζώς γέγονε ἀπὸ τοῦ πεφυζηκώς καὶ κατὰ συγκοπὴν πεφυζώς. Sane haec ipsa vocis πεφυζώς explicatio etiam priore loco profertur II, 265, 7 sq.: ἢ ἀπὸ τοῦ

φύζα, φυζῶ, πεφύζηκα πεφυζηκὼς καὶ πεφυζώς... πεφυζότες. Sed hoc loco haec vocis πεφυζώς explicatio diserte improbatur additis verbis: ἄμεινον δὲ τὸ πρῶτον; quare non prior tantum huius loci pars, sed totus locus (II, 265, 2—11) Herodiano abiudicandus est.

Neque minus certum est ubique apud Homerum ex Herodiani sententia scribendum esse ἅμαξα, non, ut nunc compluribus locis legitur, ἄμαξα; formam enim gravi spiritu insignitam non nisi recentioribus Atticis tribuit Herodianus I, 540, 23: Ἀττικοὶ μέντοι οἱ νεώτεροι τὴν ἄμαξαν δασύνουσιν.

Quodsi Ionica et Attica recentiore dialecto nusquam usum esse Homerum statuit Herodianus, etiam Aeolicam recentiorem dialectum, quae e. g. commemoratur II, 673, 28 sq. una cum recentiore Ionica dialecto, eum ab Homero alienam putasse, etsi certum deest testimonium, tamen facile sumi potest. Doricam autem et Boeoticam recentiorem dialectum nusquam expressis verbis commemorat Herodianus.

Quaerentibus autem nobis, cur has dialectos Homero abiudicaverit, nulla alia causa inveniri potest, nisi quod hae dialecti utpote quae recentiores essent, Homeri aetate nondum viguerint. Quare etsi Homerus eis uti nequibat, tamen nihil erat, cur recentiores quoque epicos elegiacosque poetas eas repudiasse Herodianus sumeret. Neque igitur mirabimur quod illud ὦλλοι vel ὤλλοι quod II, 344, 4 recentioris Ionicae dialecti proprium dicit, invenitur apud Apollonium Rhodium I, 1081, Theocr. XVIII, 17. Ut autem secundum Herodianum Homerus recentiores Atticorum, Aeolensium, Ionum dialectos adhibere non poterat, quia ipsius aetate nondum vigebant, sic facile suspicari licet formas ne communis quidem dialecti, sive τῆς (κοινῆς) ut dicit Herodianus, συνηθείας, quae est omnium dialectorum novissima, Homero eum adscripsisse. Neque invenimus certum locum, ubi forma quaedam communis dialecti propria tribuatur Homero; nam locum qui est II, 487, 10 sq., ubi τῆς συνηθείας i. e. communis dialecti testis afferri videtur Homerus [γνάμπτω ἐκ τοῦ κάμπτω· σύνηθες δὲ τοῖς παλαιοῖς λέγειν γνάπτω ἄνευ τοῦ μ. ἐπέγναψε γὰρ ἅπαντας (B 14) ἄνευ του μ· ἐν τῇ συνηθείᾳ· οἱ δ' ὡς αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες (Π 428)] corruptum esse cum per se patet tum infra pluribus demonstrabimus. Quod autem II, 120, 7 dicitur:

τὰ κρέα (γ 347) κατὰ συστολὴν ἀνεγνώσθη ὥσπερ καὶ ἐν τῇ συνηθείᾳ, hinc minime efficere licet illud κρέᾰ correpta posteriore syllaba ex communi dialecto ab Homero esse desumptum, sed hoc tantum dicit Herodianus iam apud Homerum inveniri formam κρέᾰ etiam communi dialecto cognitam. Ceterum ne solius quidem communis dialecti ea forma est propria, sed invenitur iam apud Atticos poetas (cfr. Steph. thes. s. v. κρέας). Quod autem de communi dialecto valet, idem de dialectis urbium Graecarum in Sicilia et Italia sitarum valere, si accurate rem consideramus, necessario mihi sumendum videtur. Hae enim urbes, cum conditae essent aliquanto post Homerum, quae autem post Homerum viguerunt dialecti, eas ab Homero alienas putavisse Herodianum supra ostenderimus, apparet Herodianum, ut sibi ipse constaret, Siculas quoque et Italicas formas Homero abiudicare debuisse. Sed hoc ne sumamus, obstare videtur, quod in Herodiano qualis a Lentzio restitutus est, loci nonnulli reperiuntur, ubi Homericae formae Sicularum vel Italicarum dialectorum propriae fuisse dicuntur. Tamen hi loci vix recte ab Lentzio in Herodianum sunt recepti; primum enim nullus eorum Herodiani nomine est insignitus; deinde etiam aliis in rebus ab Herodiani doctrina plerosque abhorrere probari potest.

Etenim ut incipiamus ab iis locis, ubi Siculae formae Homero tribuuntur, primum hic commemorandus est locus qui est II, 81, 5: κεκλήγοντες ὡς ἀρήγοντες· οὐδὲ γὰρ τὸ κεκληγότες ἐπλεόνασε τὸ ν... ἀλλὰ παρὰ τὸ κέκληγα γέγονε ὁ Συρακούσιος ἐνεστὼς κεκλήγω ὡς παρὰ τὸ ἄνωγα ἀνώγω, πέπληγα, πεπλήγω, ἔνθεν τὸ «ἐπέπληγον πόδες ἵππων» (E 504)· ἀκολούθως δὲ τῷ κεκλήγω μετοχὴ ἡ κεκλήγων βαρυνομένη, ἔνθεν τὸ κεκλήγοντες. Hunc autem totum locum non vere Herodianeum esse propterea puto, quod Arcadius diserte has formas non Siculas, sed poeticas appellat (apud Herod. I, 434, 9): τὸ δὲ κεκλήγω καὶ πεπλήγω ποιητικῶς βαρύνονται ἀπὸ τῶν παρακειμένων γεγονότα. Cum autem Arcadius hoc loco sine dubio Herodiani referat sententiam, vereor, ne locus ille Iliacae prosodiae ab Lehrsio nullo externo testimonio adiuvante iniuria in Herodiani Iliacam prosodiam sit recepta. Similiter autem iudicare debemus de loco, qui est II, 501, 24; εἴνατος ἐκ τοῦ ἔννατος κατὰ μεταβολὴν τοῦ ν εἰς ι. καὶ ἡ μὲν τῶν Ἀγρείων διάλεκτος μεταβάλλει τὸ ι εἰς ν. καὶ γὰρ τὸ σπείδω σπένδω

λέγουσιν καὶ αἰεὶ αἰέν· ἡ δὲ τῶν Σικελῶν τὸ ἀνάπαλιν τὸ ν εἰς ι μεταβάλλει τὸ γὰρ ἐννάνυχον εἰνάνυχον καὶ τὸ ἔνδον ἔνδοι. Hic igitur Homericae formae εἴνατος et εἰνάνυχος tribuuntur Siculorum i. e. Syracusanorum dialecto. Sed hoc loco certe ab Herodiano alienum est, quod σπένδω a σπείδω derivatur. Nam ipse Herodianus σπένδω non a σπείδω propagat mutatione litterae ν in ι, sed a σπείω addito suffixo δω et pleonasmo litterae ν facto ut apparet ex II, 286, 10: σπένδω· παρὰ τὸ σπείω σπένδω παραγωγῇ καὶ πλεονασμῷ ὡς κυλίω κυλίνδω, ἀμείρω ἀμέρδω. Itaque cum hoc exemplum cum Herodiano parum consentiat, omnino hunc locum non Herodiano tribuendum puto, sed Heraclidi, qui simile tradit praeceptum, ut recte adnotat ipse Lentzius II, 501, C. 24 adn., apud Eusthatium p. 722, 58: ἔστι δὲ καὶ ἑτεροίας ἐκδόσεως γραφὴ ὑποδύσκολος καθ' Ἡρακλείδην αὕτη· «οὐ μέντον κάμετόν γέ» ἀντὶ τοῦ «οὐ μέντοι». καὶ ἔστιν κατ' αὐτὸν τὸ οὐ μέντον Ἀγρείων καὶ Κρητῶν γλῶσσης, οἵ πολλάκις ἐξαιροῦντές, φησι, τὸ ι ἐντάττουσι τὸ ν, τὴν εἰς πρόθεσιν ἐν ς λέγοντες καὶ τὸ τιθεὶς τιθένς, οἷς ὅμοιον καὶ τὸ σπείδω σπένδω καὶ τὸ οὐ μέντοι οὐ μέντον καὶ τὸ αἰεὶ αἰέν. Σικελοὶ μέντοι, φησίν, ἔμπαλιν τὸ ν ἀντὶ τοῦ ι τάττουσι τὸ ἔνδον ἔνδοι λέγοντες καὶ Ὅμηρος εἰνάνυχες ἀντὶ τοῦ ἐννάνυχες· οὕτως ὁ Ἡρακλείδης.

Semel Tarentinis forma quae iam apud Homerum invenitur, adscribitur II, 556, 2, nimirum forma νίζω: νίζει σημαίνει τὸ νίπτε· οἱ Αἰολεῖς τὰ εἰς πτω ῥήματα μεταβάλλουσι εἰς δύο σσ. Ταραντίνων δὲ φωνῇ γίγνεται νίζω. Sed ne hanc quidem formam ab Herodiano re vera Tarantinorum propriam habitam puto, sed Aeolicam. Antiqui enim grammatici duo invenerant vocabuli νίζω derivandi rationes, ut docet adn. ad Etym. M. p 605, 42 Gaysf., ubi ex codice υ haec allata sunt: νίζω τὸ νίπτω· νίπτω νίζω οἱ Αἰολεῖς τὰ εἰς πτω ῥήματά ποτε μὲν εἰς δύο σσ μεταβάλλουσιν, ποτὲ δὲ εἰς ζ νίπτω νίζω. Ταραντίνων δὲ φωνῇ κατ' ἄλλους γίγνεται νίζω. Alteri igitur νίσσω ex νίπτω factum esse Aeolico, deinde νίζω ex νίσσω Tarentinorum more; alteri ab ipsis Aeolensibus statim νίπτω in νίζω esse mutatum putabant. Prioris sententiae defensorem se praestitit Heraclides apud Eustath. p. 1654, 23; alteram sententiam Herodianum amplexum esse quin sumamus, nihil saltem obstat. Neque aliter iudicavit Lentzius in adnot. ad. frg. 662 pathologiae Herodianeae (II, 378), ubi haec dicit: «Doctum ad notamentum in Epim. I, 62, 16, in

quo docetur Tarentinos verba in ζω in σσω et contra mutasse, ab Heraclide profectum est neque Herodianus tradidisse videtur verba in σσω in ζω transformari (cfr. Epim. Cram. I, 291, 21).» Itaque certe Lentzius illum locum de voce νίζε in Herodianum recipere non debuit, nam hoc loco nihil aliud docetur nisi ex νίπτω Aeolenses facere νίσσω, ex νίσσω autem Tarentinos νίζω.

Porro Rhegina dicitur forma Homerica ἐτώσιος II, 850, 25: ἐκ τοῦ ἔω τὸ ὑπάρχω μετὰ τοῦ στερητικοῦ α ἄετος, τὸ πληθυντικὸν ἄετοι ἀέτων ἀετώσιος. κανὼν γάρ ἐστιν ὁ λέγων· αἱ διὰ τοῦ ιος γιγνόμεναι παραγωγαὶ ἀπὸ γενικῆς τῶν πληθυντικῶν διχῶς σχηματίζονται· καὶ διὰ τοῦ σ καὶ διὰ τοῦ ν· ἡ μὲν τῶν Ῥηγίνων διάλεκτος διὰ τοῦ σ· ἡ δὲ τῶν Αἰολέων διὰ τοῦ ν· ὡς Ἑλικώνιος. At hic quoque locus offensioni est; nam quod hic Ἑλικώνιος a genetivo Ἑλικῶν vocis Ἑλίκαι derivatur, vix conciliari potest cum eo loco qui est II, 879, 23: Ἑλίκη πόλις Πελοποννήσου· ὁ πολίτης Ἑλικώνιος ἀπὸ τοῦ κτιστοῦ Ἑλικῶνος· ἴσως δὲ τοῦτο ἀπὸ τοῦ ὄρους γέγονεν; nam hic illud Ἑλικώνιος non a genetivo pluralis nominis Ἑλίκαι derivatur, sed aut a nomine conditoris Ἑλικῶνος aut a nominativo Ἑλικών. Atque idem exemplum aliam ab causam ab Herodiani doctrina abhorrere infra apparebit.

Praeter hos locos ad quaestionem nostram pertinere puto etiam illud quod est apud Lentzium II, 304, 5, quod sane, ut nunc se habet, huc non pertinet; est enim hoc: ἔσσεται διὰ δύο σσ ποιητικῶς· οἱ γὰρ Σικελοὶ τὰ ἐπὶ μελλόντων ῥήματα βραχέων φωνηέντων προηγουμένων διπλασιάζουσι τὸ σ τελέσσω λέγοντες; ὁμοίως καὶ τὸ ἔσω ἔσσω. Apparet formam ἔσσεται non propterea, quia Siculi litteram σ in talibus formis duplicare solent, poeticam dici posse; immo, ut infra pluribus docebimus, poeticae formae opponuntur dialecticis. Itaque dubium non est, quin scribendum sit ποιητικῶς [ἢ Σικελικῶς]. Hac autem recepta coniectura similis in voce ἔσσεται nobis obviam fit dissensus atque in voce κεκλήγοντες aliis Siculas, aliis poeticas has formas perhibentibus. Utram autem in voce ἔσσεται probaverit Herodianus sententiam, ex loco illo satis conciso iam non potest cognosci; sed priorem ei magis placuisse ex iudicio de voce κεκλήγοντες facto efficere debemus; posterior contra ab iis profecta videtur, qui etiam recentioribus dialectis Homerum usum esse putabant. Nam tales re vera fuisse ex ipsis illis locis supra allatis apparet

veluti ex II, 673, 28: ,ἰστέον ὅτι τινὲς τὸ «αὐτὰρ Φωκήων» διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφουσιν κατὰ τοὺς νεωτέρους Ἴωνας. Quod autem praeter suam opinionem etiam contrariam attulit Herodianus, hoc vel maxime Herodiani est, ut iam pluribus locis adnotavit Lentzius.

Contra nihil probare in hac re censeo locos qui sunt I, 437, 5 sq. et II, 817, 5 sq. Prior enim hic est: ἀκαλοῤῥείτης ὁ ἡσύχως ῥέων. ἀκαλὸν γὰρ παρὰ Σικελοῖς τὸ ἥσυχον. Illud ἀκαλορρείτης Homerica sane est forma, sed nihil impedit quominus sumamus ἄκαλον pro antiqua voce ab Herodiano habitam esse, quae post Homerum a solis Siculis esset servata veluti a solis Hierapytnaeis servatam esse Homericam vocem αἴμνιος (γ 444) diserte tradit Herodianus: II, 138, 4: Πορσῖλος δὲ ὁ Ἱεραπύτνιος παρὰ Ἱεραπυτνίοις ἔτι σώζεσθαι τὴν φωνὴν δασέως μετὰ τοῦ ι κατὰ τὴν ἀρχὴν προφερομένην. Certe vox ἀκαλὸς nullam passionem perpessa est solius Siculorum dialecti propriam.

Alter locus, in quo quis haeserit, est apud Herodianum II, 817, 5 sq., quem locum diserte Herodiano Choeroboscus adscribit. Hic cum quaeratur de secunda persona imperativi aor. I veluti λῦσον primum dicitur eam analogia prohibente nec in ε potuisse exire veluti εἰπέ nec in θι veluti γνῶθι; tum pergit Herodianus (l. 33 sq.:) μὴ δυνάμενον οὖν προστακτικὸν τοῦ α ἀορίστου κα μέλλοντος μήτε εἰς α εἶναι μήτε εἰς ε μήτε εἰς θι ἐξ ἀνάγκης γέγονεν εἰς ον κατὰ μίμησιν τῶν Συρακοσίων προστακτικῶν τοῦ β ἀορίστου· οἱ γὰρ Συρακόσιοι τὰ προστακτικὰ τοῦ β ἀορίστου εἰς ον μεταποιοῦσι τὸ λάβε λάβον λέγοντες· οὕτως οὖν καὶ τύψε τύψον. Itaque hoc loco imperativa veluti τύψον qualia etiam apud Homerum inveniuntur (cfr. κῆον Od. 21, 176) imitatione Syracusanorum facta esse dicuntur; sed multum abest, ut ab ipsis Syracusanis has formas inventas esse contendatur; neque enim dialectica quadam libidine, ut ceteras vere dialecticas formas, eas natas esse docet Herodianus, sed ἐξ ἀνάγκης, nimirum analogia cogente. Itaque mihi quidem persuasum est minime ipsis Siculis formas illas tribuere voluisse Herodianum; cur autem omnino Sicularum formarum veluti λάβον mentionem hoc loco iniecerit, infra pluribus exponemus.

Quare cum nullus certus locus sit, quo Sicula vel Italica forma Homero tribuatur, hoc nobis sumere licet quod rationem postu-

lare supra demonstravimus, nimirum prorsus ut Atticam, Aeolicam, Ionicam recentiorem dialectum, sic etiam Siculas et Italicas dialectos quippe quae recentiores essent Homero, ab eo alienas Herodianum putavisse. Atque hoc ipsum nos adducere potest, ut quamquam Doricam recentiorem dialectum nunc quidem nusquam commemorat Herodianus, tamen huius quoque dialecti et recentiore et antiquiore idiomate distincto eum antiquioris Doridis testes eos scriptores habuisse putemus, qui velut Alcman ante Siculorum scriptorum aetatem florebant, ceteros recentioris. Qua cum re consentit quod in scholiis Theocriteis (p. 4 ap. Ziegl.) Epicharmi et Sophronis dialectus, si non recentior, attamen ἀνειμένη Δωρίς appellatur et quod in Et. M. p. 391, 2 formae apud Aristophanem inventae quales sunt εὖοί πᾶα tribuuntur Doridi posteriori (μεταγενεστέρᾳ), quas formas ipse Herodianus II, 1, 31 adscribit τοῖς μεταγενεστέροις Λάκωσιν.

Itaque si recte de hac re disputavimus, de sermone epicorum poetarum hoc Herodianum statuisse apparet: recentiores omnibus dialectis et uti potuisse et usos esse; antiquiores maximeque Homerum omnes adhibuisse praeter recentiorem Doricam, Aeolicam, Ionicam, Atticam dialectum et praeter communem dialectum, quam κοινὴν συνήθειαν dicit Herodianus.

Sed cum adeo dialectos miscuisse epicos poetas grammatici sumerent, ut vix minor Aeolicarum et Doricarum quam Ionicarum Atticarumque formarum copia apud eos inveniretur, satis difficile fuisse consentaneum est diiudicatu, cuiusnam dialecti testes auctoresque epici poetae essent habendi, utrum Iones an Attici an Dorienses etc. deberent appellari. Quare non mirandum est quod apud antiquos grammaticos plurimus de propria epicorum poetarum, praesertim Homeri, dialecto fuerit dissensus. Fuerunt enim — quo in numero fuit Aristarchus (cfr. Bergk, lit. hist. Gr. I, p. 449) — qui Atticae dialecti auctorem Homerum esse contenderent, ut demonstrant loci nonnulli Diomedis grammatici I, 335: qui Homerus cum sit Atticae linguae cultor utpote patrii sermonis adsertor, ut quidam putant» et Aristidis oratoris I, 296 (Dind.): εἰ δὲ δεῖ καὶ τῆς Ὁμήρου μνησθῆναι, μετέχει καὶ ταύτης τῆς φιλοτιμίας ἡ πόλις οὐ μόνον διὰ τῆς ἀποίκου πόλεως, ἀλλὰ ὅτι καὶ ἡ φωνὴ σαφῶς ἐνθένδε. Alios inter Aeolicae dialecti auctores Homerum numerasse

Bergkius suspicatus est propter locum quendam Anecd. Roman., ubi haec sunt: τὴν δὲ ποίησιν ἀναγιγνώσκεσθαι ἀξιοῖ Ζώπυρος ὁ Μάγνης τῇ Αἰολίδι διαλέκτῳ· τὸ δὲ αὐτὸ καὶ Δικαίαρχος. Plurimos autem antiquitatis grammaticos Ionicam dialectum pro propria epicorum poetarum habuisse satis constat. Ab his omnibus diversam fuisse Herodiani sententiam censeo, quippe quem nullius topicae gentiliciaeque dialecti certos auctores eos putavisse verisimile sit. Primum enim non inde pro Ionicae dialecti auctoribus eum epicos poetas habuisse efficere licet quod nonnunquam ipsius Homeri exemplis nixus formam aliquam Ionicam dicere videtur; nam prorsus eodem modo utitur epicorum poetarum locis, si de ceteris dialectis agitur, veluti de Attica II, 687, 32: ἔτι γὰρ τὰ παρὰ τὸ ἔτος καὶ παρὰ Ἀττικοῖς περιττοσυλλάβως κλίνεται, ἐδήλωσεν ὁ ποιητὴς εἰπών etc. et de Dorica I, 14, 12 sq., qui locus ex Prisciano est desumptus: «Δωριεῖς λέγουσιν Ὀρφεύς Ὀρφῆς καὶ Ὀρφῆν: Sic Antimachus in I Thebaidos Τύδης Οἰνείδης τε etc.» Quare ex his locis de propria epicorum poetarum dialecto nihil discimus neque propterea formas illas Ionicas, Atticas, Doricas appellatas esse sumendum est, quia apud hunc alterumve epicum poetam inveniebantur, sed quia sine dubio etiam apud alios certos illarum dialectorum auctores exstabant. Qui loci cum nihil probent, alii sunt, qui ne Ionibus adnumeratos ab Herodiano epicos poetas putemus, aperte obstant. Velim enim conferas locum qui est II, 313, 4: οἱ Ἴωνες καὶ οἱ ποιηταὶ τὰς εἰς ου ληγούσας γενικὰς ἀπὸ τῶν εἰς ης εὐθειῶν γινομένων διὰ τοῦ εω προφέρουσιν οἷον Ξέρξου Ξέρξεω, Ἀτρείδεω ἐναντίον τοῖς Βοιωτοῖς καὶ Αἰολεῦσιν. Quo loco cum et τοὺς ποιητὰς et Iones i. e. Ionicos scriptores Ξέρξεω dixisse doceatur, quin illud ποιηταὶ ad solos epicos poetas sit referendum, dubitari non potest; nam praeterquam quod haec est solita, ut infra docebimus, huius vocis apud grammaticos significatio, ceteri poetae praeter epicos Ionicosque ne usi quidam sunt his formis. Itaque quamquam Iones et epici eandem adhibuerunt formam, tamen poetas epicos et Iones uno nomine complecti noluit, sed poetarum epicorum memoriam ab Ionibus prorsus seiunxit. A quo loco vide quantum distet alter quem supra commemoravimus locus qui est de Hipponacte, ubi haec dicuntur: Ἱππῶναξ καὶ οἱ ἄλλοι Ἴωνες: quibus locis comparatis plane apparet, ut Hipponax in numero

Ionum scriptorum est habendus, sic epicos poetas in eorum numero non esse habendos.

Quod ex hoc loco in universum de epicis poetis valere efficitur, idem de uno eorum, scilicet de Xenophane, valere etiam alio loco confirmatur qui est II, 384, 13: βρόταχον· τὸν βάτραχον Ἴωνες καὶ Ἀριστοφάνης καὶ παρὰ Ξενοφάνει — ubi Xenophanes ab Ionibus diserte seiungitur. Qui locus est eo gravior, quod etsi Xenophanes ex ipsa Ionia ortus erat, tamen quia epicus est poeta, non magis Ionibus adnumeratur quam Aristophanes Atticus poeta. Neque enim Dindorfio assentiri possum, qui hunc locum corruptum esse ratus deletis verbis καὶ Ἀριστοφάνης pro verbis καὶ παρὰ Ξενοφάνει scribere vult ὡς παρὰ Ξενοφάνει (cfr. Steph. thes. s. v. βάτραχος); nam licet illud καὶ Ἀριστοφάνης nihil sit nisi dittographia verborum καὶ παρὰ Ξενοφάνει, certe illud καὶ ante παρὰ Ξ. in ὡς mutandi causa nulla est.

Neque magis quam Ionicae dialecti, alius cuiusdam topicae gentiliciaeque dialecti auctoribus epicos poetas adnumeravisse videtur. Velim enim conferas hos locos: II, 949, 20: σημειῶδες ἄρα παρ' Ἀττικοῖς καὶ παρὰ τοῖς Ἴωσι λεγόμενον διὰ τοῦ ε τὸ πιέζω ὥσπερ καὶ παρὰ ποιητῇ et II, 950, 2: ἡ δὲ χρῆσις (τοῦ ἔσσι) παρὰ τοῖς ποιηταῖς καὶ Σικελίοις et II, 916, 14: εὕρηται δὲ ὁ δαίμων (Ποσειδῶν) παρ' Ἀλκαίῳ Ποσείδαν, παρὰ Δωριεῦσι Ποτειδάν; Ποσειδέων δὲ παροξυτόνως παρ' Ἴωσι λέγεται ὁ θεός. παρὰ δὲ τῷ ποιητῇ διηνεκῶς Ποσειδάων· παρὰ μέντοι Βοιωτοῖς Ποτειδάων. Quibus omnibus locis separatam topicarum dialectorum et epicorum poetarum maximeque Homeri fieri mentionem videmus.

Sed cum nec Doricam nec Ionicam nec Aeolicam nec Atticam Herodianus epicorum poetarum dialectum dixerit, quonam eam nomine eum appellasse putabimus? Cum autem id ipsum epicorum poetarum proprium esse viderimus, quod omnes gentilicias dialectos inter se miscerent, num aptiore nomine eorum dialectus poterat designari quam nomine μικτῇ διάλεκτος? Et servatum est hoc nomen loco quodam pathologiae Herodianeae, ubi forma Homeri propria tribuitur μικτῇ διαλέκτῳ, II, 315, 12: τοῦ ηὔδα τὸ δυικὸν ηὐδάτην. πῶς οὖν ἀνέγνωμεν προσαυδήτην (Λ 136). ὡσαύτως ἐφοίτην ἐφοιτάτην, ἀλλὰ «πάντοσε φοιτήτην (Μ 266), ἐσυλᾶτον ἐσυλάτην «τεύχεα συλήτην» (Ν 202). καὶ οἱ Ἀττικοὶ διὰ τοῦ α χρῶνται «φοιτάτην ποτ' εἰς διδάσκαλον» καὶ πάλιν «τὼ δ' οὐχ

ἐβοάτην»... φαμὲν οὖν ὅτι μικτῇ γίνεται διαλέκτῳ· Δωριεῖς γὰρ τὸ ἐφοίτα ἐφοίτη λέγουσιν καὶ τὸ ἐσύλα ἐσύλη καὶ τὸ ηὔδα ηὔδη· ὁ γοῦν Στησίχορός φησι ποτηύδη, ὃ λέγει ὁ ποιητὴς προσηύδα· τὸ μὲν οὖν ὅλον Δώριον φοιτήταν· γέγονε δὲ φοιτήτην μικτόν.

Cuius miscellae dialecti indoles quibus maxime rebus efficitur? Primum quidem illud eius proprium est alia ex alia topica dialecto desumpta forma omnes dialectos miscere; sed etiam longius progressos esse qui hac dialecto utebantur, sumpsit Herodianus. Etenim loco supra commemorato miscellae dialecto tribuitur vox φοιτήτην quam vocem altera ex parte Doricam altera ex parte Ionicam vel Atticam dicit Herodianus; itaque videmus non solum ita secundum illum epicos poetas dialectos miscuisse, ut aliam ex alia dialecto eligerent vocem, sed adeo ita, ut diversarum vocum vere dialecticarum proprietatibus in una voce coniunctis ex duabus vocibus localium dialectorum propriis novam vocem sibi fingerent in nulla locali dialecto adhibitam. Quare hae voces cum in sola miscella dialecto invenirentur, ab Herodiano, ut apparet ex loco de voce φοιτήτην (γέγονε δὲ φοιτήτην μικτόν) μικταὶ appellabantur, ut Ἀττικαὶ dicebantur voces Atticae dialecti propriae. Denique miscellae dialecti propriae esse videntur secundum Herodianum formae quales sunt τύπτεσκον, de quibus haec habet Choeroboscus p. 632, 28 quem locum etsi in adnotatione a Lentzio positum (ad pag. II, 792 C. 15) ex Herodiano magna saltem ex parte fluxisse certum esse mihi videtur: ταῦτα δὲ οἱ Ἴωνες (scil. τύπτεσκε), οἱ δὲ ποιηταὶ κατὰ μίμησιν τῶν Ἰώνων πολλάκις καὶ τὸ πρῶτον καὶ δεύτερον πρόσωπον ποιοῦσι διὰ τοῦ σκ οἷον τύπτεσκον. Quodsi epicos poetas in Ionum numero putavisset Herodianus, cur formas veluti τύπτεσκον non Ionicas diceret, nulla causa erat; nunc eas imitatione Ionum factas esse perhibet non ab ipsis Ionibus, sed ab epicis poetis ad exemplum Ionum factas ratus.

Qui vero miscellam dialectum propriam Homeri ceterorumque epicorum poetarum putabant, hi non multum auctoritatis ad topicarum dialectorum discernendas proprietates epicis poetis tribuere poterant; qua cum re consentit, quod Herodianus II, 662, 15, ubi antiquiores Iones Ζηνός dixisse docet, huius rei testimonium non ex Homero petit, ubi saepissime haec forma

invenitur, sed ex alio poeta, fortasse Archilocho. Nam ex solo usu Homerico hanc formam antiquorum Ionum propriam fuisse minime probare poterat, cum facile fieri posset, ut ab Aeolensibus, qui et ipsi dixerunt Ζῆνος, hanc formam mutuatus esset Homerus.

Contra ab Herodiani doctrina abhorrent quae leguntur II, 677, 8: ὅτι γὰρ τοῦτο ἀληθές, δῆλον εἴγε παρὰ Δωριεῦσι καὶ Ἴωσιν ἐπὶ τούτων τῶν εἰς εος γίνεται ἡ κρᾶσις ἐν τῇ αἰτιατικῇ τοῦ ε καὶ α εἰς η οἷον Τύδη ὡς παρὰ ποιητῇ· ἔνθ' αὖτ' ἀγγελίην ἐπὶ Τυδῆ στεῖλαν Ἀχαιοί. Hic igitur Doriensibus et Ionibus contractae formae veluti Τυδῆ tribuuntur, quas tamen solorum Doriensium et epicorum poetarum proprias fuisse neque ab ullo scriptore vere Ionico adhibitas esse constat. Accedit quod ipse Herodianus pluribus locis Doricas tantum eas appellat veluti I, 416, 8., II, 95, 16, ubi de ipsa Homerica forma Τυδῆ agitur. Itaque verba καὶ Ἴωσι, quippe quae a Chœrobosco, qui prorsus ut Gregorius Corinthius Homerum in Ionicorum scriptorum numero habuisse videtur, propter exemplum ex Homero allatum addita sint, ex Herodiano removenda esse censeo.

Longe aliter atque de epicorum poetarum dialecto Herodianum iudicavisse puto de dialecto iambicorm lyricorumque poetarum, quorum unicuique in universum eam propriam peculiaremque tribuisse videtur dialectum, quae in ea, ex qua ortus erat, regione vigebat. Nam ut ab Alcaeo et Sapphone ex Lesbo insula oriundis incipiamus, saepissime testes Aeòlicae dialecti adhibentur apud Herodianum veluti I, 18, 14 sq: τὰ εἰς υν λήγοντα βαρύνεται ἐξαιρέτως παρὰ τοῖς Αἰολεῦσι, Φόρκυν, Πόλτυν, τέκτυν ὁ τέκτων, κίνδυν. οὕτως δὲ ἔφη Σαπφώ τὸν κίνδυνον, ὁ γοῦν Ἀλκαῖος τὴν δοτικὴν ἔφη τῷ κίνδυνι. II, 331, 24: οἱ Αἰολεῖς τὰ τῆς πρώτης συζυγίας διὰ τοῦ η προφέρουσιν, οἷον Ψάπφ' ἀδικήει (frg. Sapph. 20). II, 378, 11: ἄλλως δὲ καὶ τὸ ὀφειλέμενον αὐτῷ, λέγω δὴ τὸ ος οἱ Αἰολεῖς ἀναπληροῦσι τίος λέγοντες ὡς παρὰ Σαπφοῖ: τίοισιν ὀφθαλμοῖσιν. II, 639, 36: ἔστι δὴ καὶ Ἄρευς εὐθεῖα ἥτις παρ' Ὁμήρῳ οὐκ ἔστιν, παρὰ δὲ Ἀλκαίῳ εὑρέθη, οὗ καὶ χρῆσιν προαγαγὼν λέγει καὶ ὅτι βεβαρυτόνηται μόνον τῶν εἰς ευς ὡς Αἰολικόν· Αἰολέων γὰρ ἴδιον τὸ βαρυτονεῖν.[1] II, 640, 4: Ζητοῦμεν τὴν Ἄρης Ἄρηος

[1] **Hunc locum ex parte corrigendum esse puto. Nam verba** οὗ καὶ χρῆσιν παραγαγὼν λέγει καὶ ὅτι. . . . ὡς Αἰολικόν **sensum idoneum mihi non praebere videntur, cum intelligere nequeam, quid**

γενικὴν πῶς εὕρηται διὰ διφθόγγου; λέγομεν Ἄρευος, Ἄρευϊ «μίξαν δ' ἀλλάλαις Ἄρευα» (Alc. frg.), ἡ κλητικὴ «Ἄρευ δαΐφοβος δαΐκτης» (Alc. frg.) καὶ ἠπορήκασι περὶ τῆς κλίσεως πόθεν ἄρα ἡ δίφθογγος; τὰ γὰρ εἰς ευς παρ' αὐτοῖς τοῖς Ἴωσι διὰ τοῦ η καὶ τοιαύτην λύσιν ἐπινοοῦμεν etc.[1] cfr. praeterea II, 763, 22. 929, 16.

Ad Ionicam dialectum transeuntes videmus Ionicae dialecti fontibus ex poetis iambicis lyricisque Herodianum uti eis, qui ex ipsa Ionia sunt orti veluti Archilocho II, 639, 24: κλίνεται δὲ καὶ ὡς σπονδειακὸν Ἄρης Ἄρου· ὅθεν κατὰ Ἰάδα διάλεκτον ἐκτείνας Ἀρχίλοχος ἔφη ἐν τριμέτροις «παῖδ' Ἄρεω μιηφόνου et Anacreonte Hipponacteque II, 225, 9: μεμετρέαται· τοῦτο Ἰωνικόν ἐστιν. ὡς γὰρ νενονέαται, οὕτως μεμετρέαται καὶ παρ' Ἱππώνακτι «οἱ δέ μευ ὀδόντες ἐν τοῖς γνάθοις κεκινέαται» καὶ Ἀνακρέων «αἱ δέ μευ φρένες ἐκκεκωφέαται» et I, 108, 6: λαός ληός τῇ μεταγενεστέρᾳ Ἰάδι τραπέν «ληὸν ἀθρήσας» Ἱππῶναξ; atque Hipponactem diserte Ionibus scriptoribus adnumerari iam supra vidimus loco qui est II, 282, 7: βόλιτον· βόλβιτον δὲ Ἴωνες οἵ τε ἄλλοι καὶ Ἱππῶναξ.

Eodem modo Atticarum formarum testimonia Herodianus saepe desumit ex poetis lyricis iambicisque in Attica natis veluti ex Aristophane (I, 319, 17. 420, 11. 528, 8.), ex Sophocle (II, 40, 32. 659, 9.) Aeschylo (II, 46, 13) Euripide (II, 187, 2. 676, 11. 701, 23 etc.), Menandro (II, 659, 31 etc.) Eupolide (II, 517, 1), Phrynicho (II, 40, 32) Platone comico (II, 945, 2).

Porro Bœticae dialecti testem Herodianus citat Corinnam Tanagraeam, ut ex locis apparet quales sunt II, 917, 15: παρὰ μέντοι Βοιωτοῖς Ποτειδάων τραπέντος τοῦ σ εἰς τ· Κόριννα Βοιωτῷ· «τοῦ δὲ μάκαρ Κρονίδα τοῦ Ποτειδάωνος Ἄναξ Βοιωτέ» et II, 924, 25 τὸ γὰρ παρὰ Κορίννῃ βανά... ἴδιον θέμα τῶν Βοιωτῶν·

sibi velit illud λέγει quod obiecto omnino caret. Itaque post λέγει supplendum puto Αἰολικόν, quod facile excidere poterat propter verba quae sequuntur ὡς Αἰολικόν. Tum enim optimus evadit sensus: formam Ἄρευς Aeolicam vocat Herodianus et quod invenitur apud Alcaeum (χρῆσιν παραγαγών) et quod characterem Aeolicum prae se fert.

[1] Ne hunc quidem locum sanum esse puto. Quid enim ad rem, quod ipsi Iones voces in ευς per η declinabant, cum Ἄρευς vox mere Aeolica sit? Immo scribendum puto παρ' αὐτοῖς τοῖς Αἰολεῦσιν; nam ii quoque, ut ex ipso Herodiano II, 661 patet, harum vocum genetivum in ηος formare solebant, non in ευος.

Paulo difficilius est diiudicatu est quomodo de eorum poetarum dialecto iudicaverit Herodianus qui ex Dorica gente erant orti. Primum enim videmus eos saepe Doricae dialecti testes adhiberi veluti Alcmanem II, 617, 23 τὸ Αἴας τὸ παρ' Ἀλκμᾶνι ἔχομεν σεσημειωμένον ὡς συστέλλον τὸ α· ἔστι δὲ καὶ ἄλλα τινὰ Δωρικὰ συστέλλοντα τὸ α (cfr. II, 646, 2), et Epicharmum II, 916, 16: παρὰ δὲ Δωριεῦσι τρεπόμενον τὸ σ εἰς τ Ποτειδάν... ἔνθεν γενικὴ παρ' Ἐπιχάρμῳ «τοῦ Ποτειδᾶνος χρηστὸν υἱὸν Ἱπποκάμπιον et ut una cum Epicharmo Sophronem commemorem, etsi pedestri hic usus est oratione, I, 445, 3. II, 199, 12. II, 209, 18 (ἰστέον ὅτι τοιαῦτα καὶ Δωρικά ἐστιν· οἱ γὰρ Δωριεῖς λέγουσιν· πίμπλη Κοικόα (Sophr. frg. 49 Ahr.). Eorundem autem scriptorum haud raro etiam altera propria dicitur dialectus veluti quae apud Alcmanem reperiuntur, dicuntur Laconica: μῶσα II, 1, 31 Λάκωνες... μῶσα, quae forma invenitur apud Alcmanem frg. 37, 1. 45, 1. 59. (Bergk), I, 116, 1 Λύκηος... Λάκωνικά ἐστιν, quod exstat apud eundem frg. 73, ὄκα, quod II, 192, 9 Laconibus tribuitur, apud Alcmanem legitur frg. 76, 3. Deinde formae Epicharmi, Sophronis propriae haud raro Siculae vocantur veluti II, 830, 13 πολὺ τὸ τοιοῦτον ἔθος παρὰ Συρακουσίοις ὄλωλα ὀλώλω, δέδοικα δεδοίκω καὶ τὸ κέκλυκε δὲ παρὰ Ἐπιχάρμῳ et II, 949, 30: οὐδὲν εις σι λῆγον ῥῆμα δευτέρου προσώπου, ἀλλὰ μόνον τὸ ἐσσί... ἡ δὲ χρῆσις παρὰ τοῖς ποιηταῖς καὶ Συρακουσίοις· διὸ καὶ Σώφρων φησίν· ὀδαῖος γ' ἐσσί; denique quae apud Rhinthonem Tarentinum inveniuntur, nonnunquam Tarentinis adscribuntur veluti II, 295, 7 sq.: ὀλίος· κατὰ διάλεκτον. Ταραντῖνοι γὰρ τὸ ὀλίγος ὀλίος λέγουσιν ἄνευ τοῦ γ· Ῥίνθων ἐν δούλῳ Μελεάγρῳ.

Quodsi accuratius hanc rem contemplamur, statim apparet praeter Doricam dialectum eam singulis attribui dialectum quae in urbe, in qua nati erant aut carmina composuerunt, vigebat, veluti Alcmani, qui Spartae vixit, Laconica, Sophroni et Epicharmo Syracusanis Sicula, Rhinthoni Tarentino Tarantina tribuitur dialectus. Itaque cum aliae horum scriptorum formae Doricae appellentur, aliae Laconicae, Tarentinae etc., iam accuratius est quaerendum, quaenam inter utrasque intercedat ratio. Duo autem omnino cogitari possunt: aut enim Doricae eae solae dicuntur quae apud plures illorum scriptorum inveniebantur, contra quae apud unum inveniebantur, eius urbis dialecto

tribuebantur, ex qua ipse ortus erat; aut omnes formae apud hos scriptores inventae dicebantur Doricae quia omnes illi auctores ex Dorica gente erant orti, simul vero aliae Tarentinae, aliae Siculae, aliae Laconicae prout apud Tarentinum aut Siculum aut Laconem poetam reperiebantur. Illud ut sumamus, nos movere potest locus Herodiani, qui est I, 497, 8: αἰεί, αἰέν, παρὰ Δωριεῦσιν· παρὰ δὲ Ἀττικοῖς κατὰ συστολὴν τοῦ α ἀεί... Λάκωνες δὲ αἰές φασιν... λέγεται δὲ καὶ ἀή παρὰ Ταραντίνοις. Nam cum hic forma Dorica αἰέν opponatur formae Laconicae αἰές et Tarentinae ἀή, hoc loco probari videtur non omnes Laconicas et Tarentinas formas simul Doricas putavisse Herodianum. Attamen hanc non veram Herodiani sententiam fuisse, sed magis ei alteram, quam significavimus, rationem placuisse accurata formarum huc pertinentium examinatio nobis ostendere potest. Primum enim plures formae Doricae dicuntur quas apud solos Lacones et Siculos in usu fuisse verisimile est veluti ἔρδω e ῥέζω Dorica mutatione factum dicitur (II, 391, 31 sq.) quamquam haec mutatio solorum Laconum propria erat (cfr. Ahr. II, 94 sq.), porro τεῖ, πεῖ, τουτεῖ, αὐτεῖ Dorica adverbia appellantur, etsi apud solos Siculos exstant (Ahr. II, 362, sq.), similiter κῆνος pro κεῖνος Doricam formam esse tradit Herodianus, (II, 504, 2 sq.) cum apud unum Alcmanem occurrat (Ahr. II, 267. Apoll. Dysc. de pron. 75 A), deinde λίτρα correpta vocali α Doriensibus tribuitur II, 546, 12, etiamsi Siculum fuisse vocabulum videtur, invenitur enim apud Sophronem et Epicharmum (Ahr. II, p. 391), denique τουτῶ et αὐτῶ apud Sophronem et Theocritum reperta (Ahr. II, p. 375) appellantur Dorica (I, 508, 1). Verum est de his rebus paulo incertius esse iudicium nostrum, quia plurimi Doricae dialecti scriptores perierunt. Nulla autem superesset dubitatio, si locus qui est apud Lentzium II, 288, 16 sq., certe Herodiano adscribi poterat. Hic enim mutatio litterae θ in σ appellatur Dorica, quam mutationem solorum Laconum propriam fuisse diserte testatur Apollonius de synt p 39, 3: οἱ μὲν ἄλλοι Δωριεῖς τηροῦσιν τὸ θ, οἱ δὲ Λάκωνες καὶ εἰς σ μεταβάλλουσιν. Sed iam Lentzius adnotavit etymologiam vocis ἄμβροτος hoc loco propositam non totam consentire cum doctrina Herodianea. Tamen etsi non ab ipso Herodiano, certe ab alio grammatico satis antiquo — fortasse Apollonio — hic locus profectus est, ut saltem aequales Herodiani

etiam formas solorum Laconum proprias Doricas dixisse hinc optimo iure efficere liceat.

Ut autem Herodianus haud raro formas apud unum scriptorem inventas Doricas dixisse videtur, sic e contrario nonnunquam formas apud plures aut omnes Doricae gentis auctores repertas non Doricas appellavit, sed singularum urbium dialectis tribuit, veluti πλατίος I, 124, 18 Laconicum esse dicitur licet omnium Doriensium fuerit commune. (Ahr. II p. 60 sq.) aut λύκηος, ὄρηος iisdem Laconibus tribuuntur I, 116, 2 ne ceteris quidem Doriensibus aliter dicentibus.

Denique easdem formas alio loco Doricas alio Laconicas appellatas videmus apud Herodianum, ut factum est in voce ἀές vel αἰές quae Laconica dicitur I, 497, 14, Dorica II, 952, 8.

Quare mihi quidem verisimillimum videtur Herodianum formas apud Doricos scriptores exstantes, sive a pluribus adhibebantur sive ab uno vel Laconico vel Tarentino vel Siculo auctore, non solum Laconicas vel Tarentinas vel Siculas, sed ad unam omnes Doricas appellasse, illum autem de voce αἰέν locum, ubi Dorica forma αἰέν a Laconica αἰές et Tarentina ἀή diserte seiungitur, non accurate a Theognosto esse relatum, quod eo facilius sumi potest, quod ne αἰέν quidem apud plures, nedum omnes Doricos scriptores invenitur.

Praeter scriptores e Dorica gente ortos Doricae dialecti testes Herodianus adhibuit etiam Bœotum Pindarum, ut apparet ex I, 489, 16 τὸ ἁμᾷ οἱ Δωριεῖς περισπῶσιν καὶ τὸ κρυφᾷ παρὰ Πινδάρῳ et II, 357, 17 sq., et Rheginum Ibycum et Himeraeum Stesichorum, ut demonstrant loci qui sunt I, 14, 12 (ex Prisciano): «in huiuscemodi terminatione inveniuntur quaedam mutatione eus diphthongi in es longum prolata... in quo Doris sequimur qui pro Ὀρφεύς Ὀρφήν dicunt... similiter Ibycus ὀνομάκλυτος Ὀρφήν dixit» et II, 316, 5: Δωριεῖς τὸ ἐφοίτα ἐφοίτη λέγουσιν καὶ τὸ ἐσύλα ἐσύλη καὶ τὸ ηὔδα ηὔδη· ὁ γοῦν Στησίχορος ἔφη ποτηύδη.

De ceteris poetis iambicis melicisque, veluti de Simonide, Bacchylide etc., quomodo iudicaverit Herodianus, ex reliquiis Herodiani iam non potest cognosci.

Sed quamquam poetae lyrici secundum Herodianum patriam quisque dialectum maxime referebant, tamen hos quoque, etsi multo minus quam epicos poetas, nonnunquam poetica quadam

licentia usos aliorum dialectorum formas adhibuisse atque dialectos paulisper inter se miscuisse sumpsit Herodianus. Poetas enim Aeolicos Sapphonem et Alcaeum Atticas nonnunquam formas admisisse statuit veluti II, 169, 11: ἐσύνηκε· Ἀλκαῖος ἐσύνηκε... πλεονασμῷ· οὐκ ἔστι δὲ πλεονασμὸς, ἀλλὰ Ἀττικὴ κλίσις. et II, 40, 32: ὥστε ἐκ τοῦ ἐναντίου ἁμάρτημα τὸ παρὰ τῇ Σαπφοῖ πολυΐδριδι, εἰ μὴ ἄρα ὁμοίως τοῖς Ἀττικοῖς ἐκλίθη: ὁ γὰρ Σοφοκλῆς ἴδριδα ἔφη τὴν αἰτιατικήν. Ut poetae Aeolici, sic ne Ionici quidem prorsus Atticis formis abstinuisse videbantur Herodiano; nam Anacreontem, ut Alcaeum, Attico more ἐξύνηκε dixisse testatur II, 169, 11. Idem autem Aeolicas formas nonnunquam immiscuisse dicuntur II, 154, 26: ἔστιν οὖν Αἰολικὸν ζάην μετὰ τοῦ ν καὶ ἔδει αὐτὸ Αἰολικῶς βαρύνεσθαι ὡς τὸ αἰνοπάθην πάτριδ᾽ ἐπόψομαι παρὰ Ἀνακρέοντι. Atticas deinde poetas, praesertim tragicos Doricas nonnullas formas adhibuisse ipse Herodianus agnoscit veluti I, 154, 24. II, 316, 4. 317, 5. 362, 8., atque Doricos nonnunquam αἰολίζειν dicit veluti Pindarum qui e. g. forma μοῖσα usus est, de qua Herodianus haec habet II, 1, 30: Αἰολεῖς λέγουσιν μοῖσα ὧν ἐστι καὶ Πίνδαρος.

Praeter lyricos autem iambicosque poetas praecipuos singularum dialectorum fontes Herodianus adhibuit pedestres scriptores, συγγραφεῖς vel πεζολόγους, ut dicebant Graeci, atque Ionicae quidem dialecti maxime Hecataeum, Democritum, Pheretydem, Hippocratem, Herodotum, Atticae Thucydidem, Demosthenem, Xenophontem alios, quos enumerare longum est. Neque Doricae dialecti pedestres deerant scriptores veluti Archimedes, Philistus, Sophro neque quin hic quoque usus sit Herodianus, dubito, quamquam in reliquiis eius praeter Sophronem, de quo iam supra diximus, nullus eorum diserte testis Doricae dialecti affertur. Contra Aeolensium et Bœotorum dialectis, quantum nos scimus, in pedestri sermone nemo usus est. Atque hos omnes pedestres scriptores in universum pura et mera dialecto usos esse Herodianum sumpsisse et quae apud pedestres scriptores gentis cuiusdam reperiebantur, omnia huius gentis usui eum tribuisse consentaneum est. Nihilo minus in certo quodam verborum genere bos quosque scriptores alienarum dialectorum formas nonnunquam adhibuisse ei statuendum fuisse, si accurate rem contemplabimur, statim apparebit. Etenim si e. g. urbis

cuiusdam in alienae gentis finibus sitae mentionem erant facturi, saepissime sane ea huius nominis forma eos usos esse constat, quae ipsorum dialecto erat accomodata veluti Philistus pro Ἀρτεμίσιον, ut dixerat Ephorus, dixit Ἀρτεμίτιον, ἴσως Δωρικῶς, ut ipse addit Herodianus (I, 376, 12), veluti Charax, ut ex Herod. I, 331, 30 comperimus, Doricam urbem Ἀνθάνα appellavit Ἀνθήνη, veluti Aeolicam urbem Ἀρίσβα Ephorus dixit Ἀρίσβη (cfr. I, 308, 8). Sed cum hic solitus scriptorum Graecorum mos esset, ne ipsum Herodianum quidem fugit nonnunquam prorsus contraria ratione in hac re uti scriptores pedestres, veluti ipse dicit I, 308, 15 Ἀρίσβη πόλις τῆς Τρωάδος, Μυτιληναίας ἄποικος... Ἡρόδοτος δὲ καὶ ἰάζων Ἀρίσβαν αὐτὴν καλεῖ, ubi pro καὶ fortasse καίπερ vel καίτοι est scribendum. Quod autem de nominibus urbium gentiumque valet, idem valet de nominibus personarum atque adeo de vocibus, quales sunt γεροντία semel apud Xenophontem pro γερουσία adhibita, aliisque, ut ita dicam, terminis technicis singularum gentium propriis.

Itaque cum ne pedestres quidem scriptores puram ubique praeberent et immixtam dialectum, poetae autem omnes plus minusve singulas dialectos inter se miscerent, satis apparet in formis inter singulas dialectos distribuendis Herodianum ceterosque grammaticos, qui vulgarem usum nihil respiciebant, satis incertis infirmisque fundamentis esse nixos neque equidem dubito, quin haec quoque causa fuerit, quod tam variae grammaticorum sententiae de unius formae origine nobis saepissime traduntur aliis alii dialecto eam tribuentibus.

Quoniam vidimus quosnam singularum dialectorum testes habuerit Herodianus, iam ad ipsas formas unicuique dialecto ab eo adscriptas examinandas transeamus.

Atque primum quidem dicendum est formas, quas singulis dialectis tribuit Herodianus, alias esse nihil perpessas (ἀπαθεῖς), alias dialectica mutatione affectas (πεπονθυίας). In illarum numero habendae sunt voces quales sunt ἀκαλὸν παρὰ Σικελοῖς τὸ ἥσυχον II, 436, 36. δράξων παρὰ Σικελοῖς I, 34, 9 φθοῖς παρὰ Ἀττικοῖς II, 40, 26, τὸ ἀπαρτὶ παρ' Ἀττικοῖς I, 506, 13, τὸ παρὰ Δωριεῦσι πέταμαι II, 829, 30 etc.

His autem vocibus oppositae sunt eae quae non solum in usu certae alicuius dialecti reperiuntur, sed etiam passionem

dialecti cuiusdam propriam sunt perpessae veluti στοὰ I, 301, 19 et δύνῃ II, 840, 2 κατὰ πάθος ab Atheniensibus formata esse ipse Herodianus testatur. In universum autem hoc statui potest omnes voces quae κατὰ διάλεκτον factae esse dicuntur, eas esse quae non solum in usu dialectorum reperiantur, sed passione dialectica sint affectae veluti

ἠόα II, 391, 15: κατὰ διάλεκτον· οἱ γὰρ Ἴωνες διαλύοντες λέγουσι ἠόα.

Νῆλος II, 445, 24: Νεῖλος· Νῆλος γὰρ κατὰ διάλεκτον (nimirum mutatione diphthongi ει in η).

κλήζω II, 461, 27: κλήζω κατὰ διάλεκτον (ex κλείζω factum).

ὀλίος II, 559, 29: ὀλίος κατὰ διάλεκτον· οἱ γὰρ Ταραντῖνοι τὸ ὀλίγος ὀλίος λέγουσιν ἄνευ τοῦ γ.

καλοῖο etc. II, 702, 41: τὸ γὰρ καλοῖο καὶ σοφοῖο κατὰ διάλεκτόν ἐστιν· ἔστι γὰρ Θετταλικά (nimirum ex καλοῦ etc. facta).

πᾶρος I, 302, 8: τὰ εἰς ος λήγοντα οὐδέτερα εἰ ἔχοι πρὸ τέλους τὸ α, συνεσταλμένον ἔχει αὐτό, εἰ μὴ κατὰ διάλεκτον εἴη ὥσπερ τὸ πᾶρος (scil. ex πῆρος factum).

πῆς, ἧς I, 401, 15: τὰ εἰς ης κατὰ διάλεκτον γενόμενα ἐκεῖνον ἔχει τὸν τόνον ὁποῖον καὶ τὰ πρωτότυπα, μήν, μῆς, δαίς, δῆς, παΐς πῆς, εἷς ἧς.

κυανεᾶν, ἀμφοτερᾶν I, 425, 27: ὅτε δὲ γενικὴ τροπὴν κατὰ διάλεκτον ὑπομένει τοῦ ων εἰς αν, περισπᾶται κυανεᾶν, ἀμφοτερᾶν.

cfr. praeterea I, 534, 19 (μᾶχος), II, 227, 6 (φέρενα), II, 368, 15 (δοιώ), II, 666, 18 (Ὁμήρω), II, 949, 9 (πήω, παλήω, ἀδικήω) etc.

Cum hac dialecticarum formarum nihil perpessarum et passione quadam affectarum distinctione optime consentit quod nonnunquam formae dialecticae dicuntur ἀναλογώτεραι i. e. cum analogia consentientes, multo saepius autem eis opponuntur, quae ab analogia vel a natura (φύσει) poscuntur. Ἀναλογώτεραι enim sive δίκαιοι sive οἰκειότεραι dicuntur Aeolicae formae τίος pro τίς II, 622, 23, τίθη pro τίθησι II, 832, 36 ὄψι pro ὄψε II, 932, 20 ὄνυμα pro ὄνομα I, 353, 19 ὕπα pro ὑπὸ I, 479, 25 ὀρανὸς I, 528, 21 ἴψος II, 928, 14. φέρενα II, 227, 6, porro Atticae formae ἀχρεῖος I, 136, 1, βόθυνος I, 529, 17 ῥιπίς, χαρίς I, 526, 24 ταὐτὸν II, 193, 5 τέττιχος II, 644, 4 deinde Ionica forma μαστός I, 144, 8, tum Doricae formae πιάζω I, 443, 11, Ἄρταμις II, 923, 14, denique Tarentina forma ὀλίος I, 141, 19.

Multo vero maiorem dialecticarum formarum numerum analogiae et naturae repugnare ipse testatur Herodianus veluti, ut ex ingenti exemplorum copia pauca afferam, formas Δελφίς, Σαλαμίς, similia, quae Dorica dicit Herodianus II, 628, 20, sed φύσει in ιν exire, porro Ionica Βοιβᾶδος etc., de quibus I, 51, 10 haec leguntur: ὡσαύτως καὶ τὰ Ἰωνικῶς παραλόγως διὰ τοῦ δ κλινόμενα, deinde Atticum χιλιῶν quod contra analogiam ab Atheniensibus circumflexo insigniri docemur I, 426, 21, deinde Ionicum et Atticum ἐτετύφεσαν, ut apparet ex I, 279, 9: τὸ ἐτετύφεσαν πολλάκις λέγουσιν οἱ Ἴωνες καὶ οἱ Ἀττικοί· ὁ δὲ κανὼν ταῦτα μετὰ τοῦ ι ἀπαιτεῖ, denique vocem ἐπασσύτερος, quae cum Aeolica ab Herodiano appelletur II, 364, 6, dicatur οὐκ ἔχειν φύσει τὸ υ II, 927, 25. Adeo eo, quod dialecticam passionem perpessa est, formam ab analogia abhorrentem excusari putabat Herodianus, ut plane apparet ex loco, qui est II, 40, 32: ὥστε ἐκ τοῦ ἐναντίου ἁμάρτημα τὸ παρὰ τῇ Σαπφοῖ πολυίδριδι, εἰ μὴ ἄρα ὁμοίως τοῖς Ἀττικοῖς ἐκλίθη· ὁ γὰρ Σοφοκλῆς ἴδριδα ἔφη τὴν αἰτιατικὴν ὅ τε Φρύνιχος τὴν εὐθεῖαν ἴδριδες.

Sed si omissis formis nihil perpessis propius accedimus ad formas dialectica passione affectas, harum iterum duo genera distinguenda esse statim apparet: aliarum enim et usum et passionem eidem dialecto tribuit Herodianus, aliarum alii dialecto usum alii passionem. Nam quae apud plurium dialectorum pedestres scriptores reperiebantur, harum formarum usus his dialectis necessario adscribendus erat omnibus, cum pedestres scriptores dialectos miscuisse, ut supra vidimus, in universum non sumeret Herodianus; sed minime omnia quae in usu complurium dialectorum reperiebantur, ab his omnibus dialectis inventa putabat, immo tales formas ab una dialecto inventas, postea in ceterarum dialectorum usum translatas esse saepius sumpsisse Herodianum plurimi demonstrant loci veluti II, 46, 9 δεύτερος μὲν ἀόριστος (ἀπέκταν) γινόμενος κατὰ Δωρίδα διάλεκτον, ὃς ἐν χρήσει ὁρᾶται παρ' Ἀττικοῖς. II, 18, 12: παρὰ μὲν Δωριεῦσιν εἰς η κιρνᾶται τὸ α καὶ ε οἷον τὰ ἐμὰ τῆμά· οὕτως οὖν καὶ ἐκ τοῦ ὁράεις ποιοῦσιν ὁρῇς καὶ πάλιν διψῇς καὶ πεινῇς· κέχρηνται δὲ τούτοις ἀπὸ Δωρίδος διαλέκτου οὖσιν καὶ Ἀθηναῖοι. II, 34, 9: ἄκριον ἐσσεῖται· προπερισπαστέον τὸ ἐσσεῖται· οὐ γὰρ προπαροξυντέον, ἐπεὶ Δώριον, ὥς τινες· ἤδη γὰρ πολλὴ χρῆσις τούτου παρ' Ἀττικοῖς.

I, 445, 4: ἄμεινον Φιλοξένῳ συγκατατίθεσθαι, ὅτι τό κνύζω παρὰ τὸ κνύω γίνεται, ὃ δηλοῖ τὸ ξύω, Δωρικὸν μὲν ὄν, προφερόμενον δὲ παρὰ Ἀττικοῖς καὶ Ἴωσιν. II, 279, 9: τὸ ἐτετύφεσαν λέγουσιν οἱ Ἴωνες ἄνευ τοῦ ι κατὰ τὴν παραλήγουσαν, οἷστισι καὶ Ἀττικοὶ πολλάκις ἀκολουθοῦσιν. II, 812, 10: οἱ Δωριεῖς πάντας τοὺς μέλλοντας περισπῶσιν· τοῦτο δὲ οὐ μόνον παρὰ τοῖς Δωριεῦσι, ἀλλὰ καὶ παρὰ Ἀττικοῖς ἐπεκράτησεν λέγεσθαι. cfr. II, 798, 18 adnot.: πολλάκις τρέπουσιν οἱ Ἴωνες τὸ α εἰς τὸ η ἐν τῷ πρώτῳ ἀορίστῳ οἷον ἐμίανα ἐμίηνα· τούτοις ὑπὸ τῶν Ἰώνων γινομένοις χρῶνται οἱ Ἀθηναῖοι.

Itaque quin data occasione Herodianus eiusdem formae passionem uni dialecto, usum pluribus adscripserit, dubitare nullo modo licet; sed etiam quibus rebus commotus hoc fecerit, accuratius examinandum. Neque enim semper, si duae vel plures dialecti eadam forma utebantur, ab una hanc formam inventam, a ceteris ex hac dialecto desumptam putavit, sed nonnunquam passionem talis formae omnibus quae ei utebantur, dialectis tribuit, veluti formam γῆ et Boetos et Dorienses et Aeolenses in γᾶ mutasse dicit II, 912, 7. ἡ δὲ γῆ κοινὴ συνήθης· ἔτρεψάν τε τὸ η εἰς α Δωριεῖς καὶ Αἰολεῖς καὶ Βοιωτοὶ γᾶ λέγοντες. Sed aliam ut sequeretur normam, tum maxime cogebatur, cum passio, qua forma quaedam orta erat, contraria videbatur characteri atque indolei unius ex iis dialectis, apud quas forma illa in usu erat; tum enim ex alia dialecto in hanc dialectum eam translatam esse semper sumpsit. Cuius rei luculentissimum exemplum exstat apud Herod. II, 642, 13 sq.: ἰστέον ὅτι τοῦ Ζηνὸς ἐφύλαξαν οἱ παλαιοὶ Ἴωνες τὴν κλίσιν· μεταγενέστεροι Αἰολεῖς ἔτρεψαν εἰς Ζᾶνος καὶ ἔτι μεταγενέστεροι οἱ Ἴωνες διὰ τοῦ α· πάλιν ἄπορον πῶς παρ' Ἴωσιν η εἰς α τέτραπται· τὸ ἐναντίον τὸ α εἰς η τρέπουσιν. τὸ γὰρ Ζανὸς Ζηνὸς εἰρήκασιν· λέγω δὴ ὅτι οὐκ ἔτρεψαν, ἀλλ' ἐμιμήσαντο τοὺς μεταγενεστέρους Αἰολεῖς. Neque enim hic cum ipsos Iones η in α in voce Ζανός vertisse diserte neget Herodianus, illud ἐμιμήσαντο τοὺς μεταγ. Αἰολεῖς aliud quidquam potest significare nisi huius formae usum Iones mutuatos esse ab Aeolensibus. Eodem modo explicatur, cur, ut supra vidimus, II, 46, 9 et II, 18, 12 formae ἔκταν et πεινῆς a Doriensibus inventas esse solis atque ex Doriensium usu in Atticorum sermonem irrepsisse contendat Herodianus: neque enim unquam Attici η in α mutaverunt, ut factum est in voce ἔκταν, neque,

ut in voce πεινῆς factum est, α et ε in η contraxerunt, sed in α. Huc porro pertinet quod II, 803, 38 Διὸς Boeoticum esse dicitur, quamquam Attici quoque hac forma saepissime usi sunt; Attici enim nominum in ευς genetivum in εως formabant, Boeoti in ιος; quare Attici secundum analogiam debebant dicere Ζεώς, contra Boeoti suo iure dixerunt Διός (cfr. II, 662, 1 sq.). Quibus locis commoveor, ne Lentzio assentiar, qui in adnot. ad Herodiani locum II, 495, 8, quo loco ἑξήκοντα Δωρικῇ τροπῇ τοῦ α εἰς η factum esse dicitur, propterea Δωρικὴν hanc mutationem recte dici contendit, quia apud Dorienses forma ἑξήκοντα re vera inveniebatur. Nam etsi usus, tamen passio ab Herodiano nullo modo Dorica poterat appellari, non magis quam contraria mutatio in voce Ζανὸς Ionica. Nam prorsus contraria est mutatio vocalis α in η Doricae dialecto, quam potius η in α mutasse constat. Itaque pro Δωρικῇ hoc loco sine dubio scribendum est Ἰωνικῇ. Atque eadem de causa II, 16, 33 (καὶ λοιπὸν τὸ ἀνιαρὸς ὡς ἐδέξατο τροπὴν Ἰωνικὴν scil. ex ἀνιηρὸς factum) illud Ἰωνικὴν, quod num recte traditum sit, dubitat Lentzius, omni modo in Δωρικὴν aut quod Lehrsius vult in τὴν ἐκ τοῦ η mutandum est.

In ceteris vocibus quae a pluribus dialectis adhibitae tamen ab una dialecto inventae dicuntur, ita res se habet omnibus, ut talis vocis passio, etsi non plane abhorret ab una ex illis dialectis, tamen illius dialecti, cui soli tribuitur, maxime proprium sit habendum pluribus vocis eadem passione affectis in hac dialecto repertis quam in ceteris. Sic enim, ut ab Aeolica dialecto incipiam, a solis Aeolensibus inventum dicitur verbum ἔρρω II, 946, 32, quod apud omnes scriptores in usu fuisse ipse testatur Herodianus, idque propterea quia similia verba in ερρω apud solos Aeolenses reperiebantur veluti ἀγέρρω etc., porro verbum ἀμπέχεσθαι Atticis quoque notum, quia ex ἀμφέχεσθαι factum videbatur, Aeolenses autem ψιλωτικοὶ εἶναι vulgo credebantur (I, 527, 10), deinde usitatissimum verbum οἶδα (II, 326, 3 et 356, 12), quia Aeolensium erat ει in οι mutare (cfr. II, 435, 12),[1] deinde forma μάρτυρ etiam apud Atticos

[1] **Vocis οἶδα passionem Aeolensibus tribui primo saltem obtutu mirum potest videri, cum aliis locis mutatio vocalis ε in ο in perfecto activo adscribatur Atticis veluti II, 356, 15 sq.; tamen recte Aeolen-**

inventa, quia secundum Herodianum σ in ρ mutare solebant Aeolenses (cfr. II, 615, 33), tum terminatio optativi aor. ειας, ειε, quibus Atticos quoque usos esse notum est, quia Aeolenses non solum in secunda et tertia, sed etiam in prima persona hanc formandi rationem adhibebant (II, 823, 16), porro futura qualia sunt κέρσω, κέλσω nonnunquam in veterum Atticorum Ionumque quoque usu reperta, quia barytona futura pro oxytonis Aeolicam originem redolere videbantur, tum perfecta omnium fere Graecorum communia κέκτημαι, πέπταμαι, quae voces solito Aeolensium pleonasmo litterae π vel κ formatae dicuntur II, 187, 14, deinde formae μέμορθαι et ἐγρήγορθαι etiam ab Atticis et posteriorum temporum scriptoribus adhibitae, quia similia perfecta in ορθαι exeuntia apud solos Aeolenses plures reperiebantur (II, 69, 20), porro verbum δίζησθαι, quia Aeolicum redolet characterem, ut pluribus exposuit Herodianus I, 476, 11, tum forma ἀνακηκίω etiam Platoni cognita, quod ex ἀνακικίω Aeolica mutatione litterae ι in η factum est ut ἀκτῆνες et ψημύθιον mere Aeolica (II, 363, 6), deinde formae Φόρκυν, γόρτυν etiam apud posteriores scriptores exstantes quia voces βαρύτονοι in υν plurimae apud Aeolenses occurrebant (II, 628, 30), tum forma Ἄπολλον, quia vocalem in vocativo corripere et accentum retrahere Aeolensium putabatur proprium (II, 719, 14 sq.), deinde formae ὄσσος, ὄρρος, δέρρις etiam Atticis notae propter reduplicationem litterarum σ et ρ, quae Aeolensium maxime propria erat, porro forma ἀΐδιος apud Platonem, Xenophontem, Thucydidem alios inventa, quia pro ἀεὶ, unde derivatur forma ἀΐδιος, ἄϊ dicebant Aeolenses (II, 430, 22), denique forma αὖλις, quae apud Thucydidem quoque invenitur, quia feminina barytona in ις ex oxytonis in α vel η facta Aeolica maxime dialectus adamasse videbatur, velut δέρρις ex δειρή, ἄγυρις ex ἀγορά, θυρίς ex θυρά Aeolica dicuntur ab Herodiano.

Deinde propter analogiam et Doricam passionis indolem Doricae dialecto tribuuntur formae hae, quae etiam aliis dialectis

sibus tribuitur illud οἶδα, primum quia in hac voce non agitur de mutatione vocalis ε in ο, sed diphthongi ει in οι, deinde quia in Atticis illis perfectis ut λέλογα, ἔστοφα vocalis ο servatur etiam in coniunctivo, optativo etc., contra in voce οἶδα in uno indicativo comparet.

sunt notae: primum futura in ουμαι veluti κλαυσοῦμαι, quia talem futuri formationem Doriensis adamabant, deinde forma ἀλετρίβανος omnium fere auctorem communis, de qua Herodianus haec habet II, 418, 24: τὸ μέντοι διὰ τοῦ ε ἀλετρίβανος μήποτε Δώριόν ἐστιν· οἱ γὰρ τὸν Ἀπόλλωνα Ἀπέλλωνα εἰπόντες καὶ τὸν ἀνδρόφονον ἀνδρέφονον, οὗτοι καὶ τὸν ἀλοτρίβανον ἀλετρίβανον εἴποιεν ἄν, porro forma χάριτος, quia Ἀρτάμιτος similia apud solos Dorienses inveniebantur (II, 700, 1), deinde voces Δελφίς, Σαλαμίς apud omnes veteres scriptores inventae (cfr. II, 628, 12) propter mutationem consonantis ν in ς quae etiam cernitur in vocibus mere Doricis veluti ἕρπομες et ἧς, deinde θάτερον sescenties apud Atticos repertum, de quo Herodianus haec dicit II, 344, 9, θάτερον παρὰ τὸ ἅτερον Δώριον. τὸ γὰρ ἕτερος ἅτερος λέγουσιν οἱ Δωριεῖς ὡς τρέχω τράχω, porro formae usitatissimae δύνω et ἐλαύνω quas consueto Doriensium plonasmo litterae ν ex δύω et ἐλαύω vel ἐλάω factas perhibet Herodianus II, 290, 15, denique forma κνύω, etsi apud Ionas quoque et Atticos inveniebatur, ut Philoxenus testatur apud Herod. I, 445, 4, fortasse quia formae in νυω plurimae apud Dorienses inveniebantur veluti ὀμνύω, δαμνύω, στανύω (cfr. Ahrens dial. II, p. 284 fin.)

Similiter ab Ionibus inventae esse dicuntur formae tertiae personae pluralis perfecti medii et passivi in αται exeuntes, quae, etsi nonnunquam etiam apud antiquiores Atticos occurrunt, longe creberrimae sunt apud Iones (cfr. Kühner, gramm. graec. I, p. 548, 8) et voces ἀπηλιώτης et ἐπίστιον. de quibus II, 399, 23 haec dicuntur: οἱ Ἴωνες ψιλωτικοί εἰσιν· τοῦ γὰρ ἥλιος δασυνομένου τὸ ἀπηλιώτης Ἰωνικῶς διὰ τοῦ π ἐπεκράτησεν· πάλιν τοῦ ἵστιον δασυνομένου τὸ ἐπίστιον Ἰωνικῶς διὰ τοῦ π ἐπεκράτησεν καὶ οὐκὶ τὸ οὐχί.

Solis autem Atticis propter frequentem usum tribuuntur formae quales sunt νεώς, Μενέλεως, etsi hac Ionibus quoque sunt notae; eadem de causa reduplicatio qualis exstat in ἐλήλυθα etc., ab Herodiano saepe dicitur Attica, quamquam omnes antiquiores scriptores ea usi sunt; porro Atticae appellantur formae ὕφασμαι, μεμόλυσμαι etc. II, 810, 21 et formae τιθέασι et ζευγνύασι II, 832, 30 et formae λέλογχα, ἔστοφα (II, 356, 15), quae etsi praeter Atticos etiam recentioribus communis dialecti scriptoribus sunt cognitae, tamen primum

ab Atticis adhibebantur, porro forma κεκορύθμενος II, 377, 13 apud posteriores quoque scriptores exstans, quia σ in θ vertere proprium videbatur Atticorum, denique forma ἀλέξω ab Herodoto quoque adhibita propter formas similes maxime Atticorum proprias ἕψω et αὔξω (cfr. I, 456, 28).

Nec non Boeotis formae nonnullae solis adscribuntur, quae apud omnes aut plures dialectos in usu fuerunt, propter Boeoticam passionis, qua affectae sunt, naturam veluti τέθεικα, quod ex τέθηκα solita Boeotorum mutatione vocalis η in ει factam esse sumpsit Herodianus (cfr. II, 362, 17) et ὀρούω, quo posteriores scriptores veluti Plutarchus usi sunt, quia ex ὀρύω pleonasmo vocalis ο id natum esse putavit (II, 274, 31).

Atque adeo ab remotioribus nec a scriptoribus adhibitis dialectis formas nonnullas inventas atque ex his dialectis in ceterarum dialectorum usum translatas esse statuit Herodianus, si passio vocis cuiusdam nullius ex dialectis a scriptoribus adhibitis propria putari poterat. Sane quod nonnulli grammatici vocem κλήζω ex Cypria dialecto desumptam voluerunt, improbat Herodianus (II, 331, 24 sq.); sed ipse in Epimerismorum fragmento Ep. Cram. I, 442, 1, quem locum Lentzius et propter vocabulum μετάληψιν et propter doctrinam Herodiano assignandum putat (I, XXVI, 2), vocis κέχυκα passionem Ceis adscripsit, quia haec gens ε in υ vertere soleret, haec dicens: χύω, ἔνθεν κέχυκα παρακείμενος, παρὰ τὸ χέω κατὰ μετάληψιν· καὶ γὰρ τοὺς θεοὺς λέγουσιν θυοὺς οἱ Κεῖοι καὶ ἡδύως καὶ Νεαπολίτης Νυαπολίτης.

Me autem ignorare fateor, cur formam μαστός apud Atticos et Iones inventam Ionica passione affectam dicat Herodianus (I, 144, 8) et cur vocem δνόφος, quae hodie etiam apud alios scriptores exstat, solis Aeolensibus tribuat II, 487, 17. Sed fieri potest, ut simili causa, nobis tamen ignota in his duabus vocibus ductus sit Herodianus atque in ceteris.

Contra vix recte se habent quae leguntur de voce εἴξασι II, 374, 21: οἱ Βοιωτοὶ τὸ ἤνεγξα ἤνειγξα λέγουσιν διὰ τῆς ει διφθόγγου τὴν παραλήγουσαν ποιοῦντες· περὶ δὲ τοῦ τὴν λήγουσαν διὰ τοῦ ξ εἶναι λέγομεν ὅτι ἔθος ἔχουσιν οἱ Βοιωτοὶ τὸ τρέπειν τὸ κ εἰς ξ ὡς δηλοῖ Ἀριστοφάνης ἐν Νεφέλαις (343) λέγων· «εἴξασι γοῦν ἐρίοισι πεπταμένοισιν». τοῦτο γὰρ τὸ εἴξασι κατὰ Βοιωτοὺς γέγονε τροπῇ τοῦ κ εἰς ξ. εἴκασι γὰρ ἀντὶ τοῦ ἐοίκασιν. Hoc loco ex Choerobosco

petito, quin omnia summo opere perturbata sint, mihi quidem dubium non est. Nam primum offendit, quod Aristophanes Boeoticae dialecti testis adhibetur quod nullo alio loco apud Herodianum factum est, deinde quod omnino ex forma εἴξασι quae est forma vere Attica (invenitur enim etiam apud pedestres Atticorum scriptores, veluti Platonem), quod ex hac, dico, forma Boeotorum propriam fuisse mutationem litterae κ in ξ efficitur. Magis igitur putaverim olim prorsus contrariam fuisse rem atque nunc est apud Choeroboscum neque ex voce εἴξασι effecisse Herodianum illud ἤνειγξα Boeoticam mutationem esse perpessam, immo vocem εἴξασι Atticis quoque cognitam propterea a Boeotis inventam esse eum sumpsisse, quia eadem quae in voce εἴξασι, cernitur mutatio in voce ἤνειγξα solorum, ut videtur, Boeotorum propria; nam in inscriptionibus Boeoticis, si non ἤνειγξα, attamen εἴνεγξα hodie etiam invenitur.

Quodsi eius dialecti, cui passionem vocis alicuius adscripturus erat Herodianus, non plane eadem, sed similis tantum passio propria dici poterat, vocem illam non dialecticam, sed pseudodialecticam appellavit, quod e. g. factum est in voce σύνοιδα in Epimerism. frag. 2 (apud Lentzium I, XVIII), ubi haec sunt: ἰστέον ὅτι ὁ Ἡρωδιανὸς φαίνεται λέγων ἐν τοῖς ἐπιμερισμοῖς ὅτι τὸ σύνοιδα οὐκ ἔστιν Αἰολικόν, ἀλλὰ ψευδαιολικόν. αἱ γὰρ δίφθογγοι Αἰολικαὶ οὐδέποτε τοῖς Αἰολεῦσιν διαλύονται οἷον τὸ τάλας τάλαις οἱ Αἰολεῖς καὶ ὄνοιρος λέγουσι καὶ οὐ διαλύουσι, τὴν δίφθογγον ἐπὶ τούτων, ἐπεὶ Αἰολικαί εἰσιν αἱ δίφθογγοι.... εἰ οὖν τὸ σύνοιδα διαλύουσιν συνόϊδα λέγοντες δῆλον ὅτι οὐκ ἔστιν ἡ δίφθογγος Αἰολική, ἀλλὰ ψευδαιολικόν ἐστι τὸ σύνοιδα et in voce σῶτερ II, 358, 27: οἱ Αἰολεῖς ἔθος ἔχουσι πολλάκις συστέλλειν τὸ η εἰς τὸ ε ἐν τῇ κλητικῇ καὶ ἀναβιβάζειν τὸν τόνον, ἡνίκα μὴ μακρὰ παραλήγεται· οὐ συστέλλουσι δέ, ἡνίκα μακρὰ παραλήγεται, οἷον χρηστήρ· τοῦτο γὰρ μακρᾷ παραληγόμενον οὐ συστέλλει τὸ η εἰς ε ἐν τῇ κλητικῇ παρ' Αἰολεῦσιν. τὸ οὖν σῶτερ μακρὰν ἔχον τὴν παραλήγουσαν οὐ δύναται συσταλῆναι παρὰ τοῖς Αἰολεῦσιν· διὰ τοῦτο ψευδαιολικόν ἐστι καὶ οὐ κυρίως Αἰολικόν. Has igitur voces σύνοιδα et σῶτερ pseudoaeolicas, non vere (κυρίως) Aeolicas appellavit Herodianus, quia passio quam perpessae sunt, etsi multum necessitudinis habet cum passione aliarum vocum Aeolicarum, tamen re quamvis parva ab his recedit. Sed licet propterea pseudoaelicas eas

dixerit, tamen has quoque voces a nullis aliis nisi ipsis Aeolensibus inventas eum sumpsisse arbitror. Certe enim hae voces omnes eae sunt, quae apud ipsos Aeolenses re vera in usu fuerint,[1] neque illud ψευδο -- aliud videtur designare nisi ipsos Aeolenses in his vocibus formandis paulum extra suae ipsorum dialecti fines legesque esse egressos.

Ut his locis pseudoaeolica vocantur nonnulla, sic pseudodorica vocatur vox ἐστίν II, 832, 15 sq.: τούτων οὖν οὕτως ἐχόντων καὶ ἀπὸ τοῦ ἐσμί τροπὴ τοῦ μ εἰς σ ὤφειλε γενέσθαι τὸ τρίτον τῶν ἑνικῶν ἐσσί, ἀλλὰ.... τροπὴ Δωρικὴ παρηκολούθησε τοῦ σ εἰς τὸ τ καὶ ἐγένετο ἐστί ὥσπερ σύ τύ, εἴκοσι εἴκοτι. δεῖ δὲ γινώσκειν ὅτι οὐκ ἔστιν αὕτη ἡ τροπὴ ἡ ἐν τῷ ἐστί κυρίως Δωρική· οἱ γὰρ Δωριεῖς τὸ τρίτον πρόσωπον τῶν ἑνικῶν εἴς τι ποιοῦσιν μὴ προηγουμένου συμφώνου οἷον φησί, φατί. εἰ οὖν ἐν τῷ ἐσσί προηγεῖται σύμφωνον, οὐκ ἐτράπη Δωρικῶς τὸ σ εἰς τ, ἀλλὰ κατὰ μίμησιν Δωρικήν. Ne hic quidem quin forma ἐστί, quae κατὰ μίμησιν Δωρικήν facta esse dicitur, ab ipsis Doriensibus sit adhibita, dubitari potest; neque propterea pseudodorica vocatur, quia ab aliis more Dorico est formata, sed quia ipsi Dorienses formarum quales sunt εἴκοτι, φατί, similitudine seducti in hac voce ἐστί formanda paulum a vero Doricae dialecti charactere aberravisse videbantur.

Denique de voce Τροία quae pseudoboeotica ab Herodiano dici Lentzio visa est, infra plura dicemus.

Itaque nisi plures idem passae formae in eadem dialecto reperiebantur, Herodianus nunquam vocem a pluribus vel omnibus dialectis adhibitam ab una inventam esse sumere ausus est, sed ne tum quidem semper: neque enim ullam alicui dialecto tribuit vocem, nisi quae tota, non una in re, consentiret cum indole atque ingenio illius dialecti. Quod quid sibi velit, optime cognoscitur ex vocibus Aeolicae dialecto adscriptis. Velim enim conferas locum, qui est II, 824, 3 sq., de verborum in μι exeuntium origine. Hinc enim videmus nonnullos grammaticos verba in μι exeuntia ab Aeolensibus omnia inventa esse

[1] σύνοιδα invenitur hodie apud Sapphonem (frg. 15 Bergk.); vocis σωτήρ vocativus hodie nusquam legitur apud Aeolenses, sed vix aliter ab eis proferri poterat atque σῶτερ vel σάωτερ.

contendisse, quia plura eiusmodi verba apud Aeolenses reperirentur quam apud ceteras dialectos. Quod etsi verum est, tamen horum grammaticorum sententiam non probat Herodianus, sed falsam eam esse demonstrare conatur cum aliis ex rebus tum inde quod nonnulla verba in μι exeuntia sunt oxytona veluti φημί, εἰμί et nonnulla spiritu gravi insigniuntur veluti ἵστημι, ἵημι, voces autem sive oxytonae sive a gravi spiritu incipientes cum abhorreant a natura Aeolicae dialecti quae neque gravem spiritum novit neque oxytonesim, minime ab Aeolica dialecto inventae esse sumi possunt. Itaque quamquam altera ex parte cum indole Aeolicae dialecti verba in μι exeuntia optime consentire non negavit, tamen ea, quia aliis in rebus ab hac dialecto aliena sunt, ei tribuenda non censuit. Similis autem res est loco de vocibus ὅττι, ὅπποσος, ὅσσος etc. II, 306, 24 sq., unde plane apparet Herodianum voces ὅττι, ὅπποσος etc., si re vera Aeolicas putavisset, etiam spiritu leni insigniendas et βαρυτόνως proferendas esse sumpturum fuisse. Quare hoc certissimum est nullam vocem pluribus dialectis notam ex Aeolica dialecto originem ducere Herodianum statuisse aut acuto accentu aut spiritu leni insignem. At ne hac quidem cum lege Herodianus qualis a Lentzio restitutus est, totus consentit; sed qui nobis in hac re adversantur loci omnes ei sunt, quos aut non ab Herodiano profectos aut corruptos esse facile aliis quoque ex rebus demonstrari possit.

Nam ut a vocibus oxytonis incipiam, Aeolensibus ab Herodiano tribuitur vox ἀηδών II, 469, 4 ἀηδών· τοῦτο καὶ σὺν τῷ ι· ἐκ γὰρ τοῦ ἀείδω ἀειδών καὶ τροπῇ τοῦ ει Αἰολικῶς εἰς η ἀηδών καὶ φυλάσσει τὸ ι; sed hic pro Αἰολικῶς scribendum est Ἀττικῶς; nam Atticorum proprium habetur ab Herodiano ει in η vertere, subscripta littera ι, contra Aeolensium ει in η vertere omissa littera ι (cfr. II, 517, 6).

Neque verius mihi videtur, quod II, 371, 6 oxytonae voces ἐρεχμός, διωχμός, ληχμός dicuntur Aeolicae: ἐρεγμός καὶ ἐρεχμός· παρὰ τὸ ἐρεύγω ἐρευγμός, ὃς λέγεται καὶ ἐρεγμός· δοκεῖ δὲ ταῦτα παρὰ τοῖς Αἰολεῦσι ἐκφέρεσθαι διὰ τοῦ χ· διωχμὸν γὰρ λέγουσι καὶ ληχμόν, ὡς Ἀντίμαχος «ληχμὸν δ' ἐμπάξεσθαι ἀλεείνων»; nam eandem quae in his vocibus Aeolica dicitur, passionem in aliis vocibus Herodianus perhibet Ionicam II, 252, 17: ἄρχμενος·

ἀρχόμενος καὶ κατὰ συγκοπὴν ἄρχμενος· ὤφειλεν δ' ἄργμενος· φυλάξαν δὲ τὸ χ δοκεῖ Ἰωνικὸν εἶναι καθὸ καὶ τὸ ἔργμα ἔρχμα φασίν. Itaque sine dubio etiam priore loco pro Αἰολεῦσιν scriptum olim erat Ἴωσιν.

Praeterea inveniuntur nonnullae voces quas etsi fere omnes a spiritu aspero incipere certum est, tamen Aeolicas Herodianus dicere videtur. Quo in numero sunt ἀλιβδύειν (cfr. II, 283, 2: ἀλιβδύειν· παρὰ τὴν ἅλα καὶ τὸ βδύειν· Αἰολικῷ πλεονασμῷ τοῦ β) et Ἀλίθερσος II, 686, 32, quae ita excusari possunt, ut sumamus non ipsa composita ab Herodiano Aeolica habita esse, sed simplicia βδύειν et θέρσος, quae cur non Aeolica dicantur, causa nulla est. Huc porro pertinent voces Ἑλικώνιος (cfr. II, 850, 30) et ἑρπεδόεσσα (cfr. II, 248, 1: ἑρπεδόεσσα ἡ ἄγαν πεδινὴ κατὰ συγκοπὴν παρὰ τὸ ἄρι συγκειμένη.... πέπονθε δὲ ὁμοίως τῷ ἔρθυρις Αἰολικῶς, ἐρίθυρις γὰρ ἡ μεγάλη θυρίς) et Ὑρράδιος (cfr. II, 858, 26: τὰ διὰ τοῦ αδιος Αἰολικά.... Ὑρράδιος· ἔστιν δὲ ὁ τοῦ Ὕρρα παῖς). Quarum vocum quam postremo loco posui (scilicet Ὑρράδιος) quin non Ὑρράδιος, sed Ὑρράδιος scribenda sit, equidem non dubito, praesertim cum ipse Eustathius diserte dicat, Ὑρράδιος Αἰολικὸν ὄνομα· διόπερ καὶ ψιλοῦται (p. 13, 45). Vocem ἀρπεδόεσσα autem ab ipso Herodiano minime Aeolicam dictam ratus pro Αἰολικῶς loco supra allato (II, 248, 1) scribendum puto Αἰολικῷ; qua recepta levi mutatione hoc loco nihil dicitur nisi in voce ἀρπεδόεσσα similiter vocalem ι elisam esse atque in voce Aeolica ἔρθυρις. Denique vocem Ἑλικώνιος cum iam supra offensioni esse viderimus, iam altera accedente offensione una cum toto loco qui est II, 850, 27-30 ex Herodiano eicere non dubitabimus.

Aliter iudicantum est de voce ὕψος a gravi spiritu incipiente quam etsi diserte Aeolica mutatione orta esse dicitur a Theognosto in Lentzii Herodiano II, 903, 9 ὕψος γέγονε παρὰ τὸ ὄπτω τὸ βλέπω ὄψω ὄψος καὶ τροπῇ Αἰολικῇ ὕψος, tamen ab Herodiano pro Aeolica habitam esse negandum esse censeo. Nam in libro περὶ μονήρους λέξ. II, 928, 12 quo loco et ipso passio vocis ὕψος ex ὄψος natae commemoratur, minime ὕψος Aeolicum dicitur, immo Aeolenses non ὕψος, sed ἴψος dixisse diserte affirmatur. Neque qua re epitomator commotus sit ut Aeolicam hanc vocem ab Herodiano dictam esse putaret, difficile explicatu est, cum

ipsam explicandi ansam nobis praebeat optimam alter locus Herodiani qui est II, 364, 33 sq.: παρὰ τὸ ὄψομαι... ὄψος καὶ κατὰ μεταβολὴν τοῦ ο εἰς υ ὕψος· τὸ δὲ υ πρὸ τοῦ διπλοῦ οὐδέποτε εὑρίσκεται, ἔνθεν ἀναλογώτεροι οἱ Αἰολεῖς ἴψος λέγοντες.... γίνεται δὲ καὶ τὸ υ μεταβολῇ τοῦ ο εἰς τὸ υ ὡς ἐν τῷ κειμένῳ «ἐν νεκύων ἀγύρει».... καὶ παρὰ τοῖς Αἰολεῦσιν εὑρίσκομεν τὸ μόγις μύγις, τότε τύτε, «ἐπασσύτεραι Δαναῶν κίνυντο φάλαγγες». Itaque ne hic quidem ipsa vox ὕψος Aeolica dicitur, sed passio quam perpessa est, nimirum mutatio vocalis ο in υ comparatur cum passione vocum nonnullarum Aeolicarum eadem passione affectarum. Quare hoc loco nihil aliud ab Herodiano factum esse apparet, nisi quod a Didymo factum est in voce Ἀφροδίτη explicanda, ut docet locus qui est II, 367, 18: Ἀφροδίτη· ὁ δὲ Δίδυμος παρὰ τὸ ἁβρὸν τῆς διαίτης· τὸ γὰρ φ τῷ β συγγενές ἐστιν· δῆλον δὲ ἀπὸ τοῦ τοὺς Μακεδόνας Φίλιππον Βίλιππον καλεῖν καὶ τὸν φαλακρὸν βαλακρόν καὶ τὸν Κεφαληνὸν Κεβαληνόν. Hic igitur Macedonica mutationis litterae φ in β exempla afferuntur a Didymo minime, ut doceret illud Ἀφροδίτη esse vocem Macedonicam, quod ne poterat quidem sumere quia in voce Ἀφροδίτη contraria atque Macedonum propria erat, facta est mutatio, sed ut ex iis demonstraret esse quandam inter litteras φ et β necessitudinem, propter quam facile inter se commutarentur. Eandem autem ob causam Herodianus Aeolica vocabula τύτε, μύγις apposuit non ipsam vocem ὕψος Aeolicam ratus, sed ut passionem quam in voce ὕψος factam esse sumpsit, non singularem atque inauditam, sed creberrimam esse ostenderet. Itaque ut multum abest, ut ipse Herodianus formam ὕψος ab Aeolicae dialecti natura abhorrentem Aeolicam appellaverit, sic epitomatores tali comparatione Aeolicarum formarum cum voce ὕψος facta facile adduci potuisse intellegitur, ut ipsam vocem ὕψος ab Herodiano pro Aeolica habitam esse putarent.[1]

[1] Eodem modo factum esse puto, ut formae τύψον, λῦσον κατὰ μίμησιν τῶν Συρακουσίων factae esse dicerentur, quod parum cum Herodiani doctrina consentire iam supra vidimus. Ipse enim Herodianus formis illis Siculis sine dubio ita usus erat, ut demonstraret se etsi formae quales sunt λῦσε, τύψε iam non superessent, tamen non temere facere illud ον pro solita imperativi terminatione ε positam esse sumentem, cum Siculi eadem terminationum commutatione usi pro formis ceterarum dialectorum propriis λάβε

Prorsus autem eadem res quae in voce ὕψος, est in voce γυνή, quae in frg. 37 Epimerismorum (ap. Lentz. I, XXIX) dicitur Aeolice facta esse et ipsa propter mutationem litterae ο in υ : γυνή· δυνή τις οὖσα . . . . ἢ τροπῇ τοῦ ο εἰς υ Αἰολικῶς γονή τις οὖσα ἢ γονῆς δεκτική. Hic quoque si recte se habent quae a Lentzio scribuntur, sumendum est vocem γυνή, cum propter oxytonesim Aeolica dici non posset, ab Herodiano non pro Aeolica habitam, sed nihil nisi cum vocibus Aeolicis idem passis comparatam, Herodiani autem sententiam ab epitomatoribus eodem quo in voce ὕψος modo perversam esse. Quamquam fieri potest, ut omnino iniuria hoc loco Αἰολικῶς scriptum sit a Lentzio; nam in Etym. Gud., unde maior huius loci pars desumpta est, pro verbis ἢ τροπῇ τοῦ ο εἰς υ Αἰολικῶς leguntur haec ἢ ὡς Θεόκριτος, quae Lentzius correxit ex simili loco Etym. Magni p. 243, 16. Sed non intellego quomodo ex verbis ἢ τροπῇ τοῦ ο εἰς υ Αἰολικῶς in Etym. Gud. fieri potuerit ἢ ὡς Θεόκριτος; immo multo verisimilius est in his Etym. Gud. verbis nomen grammatici cuiusdam latere atque ab Etym. Gud. Aeolicae dialecti mentionem omnino alienam esse.

Denique restat vox γρυπός oxytona, de qua II, 174, 26 haec leguntur (ex Et. Or.): γρυπός· ῥυβὸν ἔστι παρὰ τοῖς Αἰολεῦσι τὸ ἐπικαμπὲς ἤτοι ῥαιβὸν καὶ τροπῇ τοῦ β εἰς π ῥυπὸς καὶ πλεονασμῷ τοῦ γ γρυπός. Ἡρωδιανὸς ἐν τοῖς ἐλέγχοις. Sed primum monendum est hoc loco non ipsam vocem γρυπός Aeolicam dici, sed tantum vocem ῥύβος, unde derivatur γρυπός. Deinde idem locus in cod. V. Etym. M. (apud Gaysf. p. 242, 2 adn.), sic legitur : γρυπός· ῥυκόν ἐστι παρὰ τοῖς Ἴωσι τὸ ἐπικαμπὲς ἤ τοι ῥαιβὸν καὶ τροπῇ τοῦ κ εἰς π ῥυπὸς καὶ πλεονάσμῳ τοῦ γ γρυπός. Itaque ceteris non mutatis in Etym. M. scribitur ῥυκός pro ῥυβός et Ἴωσι pro Αἰολεῦσι. Quamquam utra lectio verior sit, diffile est diiudicatu, tamen haec ipsa lectionum discrepantia nos docet non nimiam huic loco auctoritatem esse tribuendam neque propter hunc unum locum salis incertum reicienda esse puto quae pluribus iisque certis locis probari supra vidimus; immo hoc nobis

νύγε dicerent λάβον, νύγον. Hinc autem Choeroboscus parum quaenam vera Herodiani sententia esset, mente assecutus Siculo more illud τύψον, λῦσον formatum Herodianum dixisse iniuria effecit.

tenendum esse censeo Herodianum nullam vocem Aeolicae et cum quod de Aeolica valet dialecto, necessario valere debeat de ceteris quoque dialectis, ulli omnino dialecto tribuisse nisi quae tota consentiret cum ingenio atque legibus eius, cui tribuebat, dialecti propriis.

Sed cur hanc Herodianus sequeretur normam, nullam, si accurate rem examinamus, causam fuisse apparet, nisi quaecunque in usu Atticorum, Doriensium etc. reperta propter passionem e. g. Aeolica dicebantur, ab Aeolensibus ipsis esse facta, non a Doriensibus, Atticis etc. Aeolica more formata putabat. Nam hoc si putasset, quidni sumeret ἴστημι ab ἱστάω, unde derivabant veteres grammatici vocem ἵστημι, ab Atticis formatum esse addita Aeolica terminatione μι, sed servato spiritu gravi qualis erat in ἱστάω? Quod cum minime fecerit, necessario sumendum est nulli dialecto eum vocis alicuius passionem tribuisse, nisi cui euisdem vocis usus poterat tribui i. e. quaecumque Aeolica aut Dorica aut Boeotica etc. dicit Herodianus, re vera in harum dialectorum usu olim fuisse. Potest sane fieri, ut si qua vox, quam propter passionem alicui dialecto erat adscripturus, tota consentiebat cum legibus huius dialecti, sed in usu eius nusquam exstabat nec hac nec alia usa forma, nihilominus eam huic dialecto tribuerit sumens eam olim in eius usu exstitisse, sed postea evanuisse, sed hoc non potest fieri, ut Herodianus formam vocis alicuius tribuerit dialecto ei, quae prorsus alia huius vocis forma uteretur. Ab hac Herodiani doctrina sane multum dissentit posteriorum grammaticorum veluti Heraclidis, Philoponi, Eustathii, Gregorii ratio, qui propter unius passionis similitudinem omnia omnibus fere dialectis tribuebant nihil curantes quibus formis re vera dialecti essent usae; in quos solos cadit Buttmanni iudicium dicentis (gramm. Graec. § 2 adn. 13) grammaticos Graecos nulla usus ratione habita dialectorum nominibus usos esse. Neque aliter atque Herodianus in hac re Apollonius Dyscolus iudicasse videtur, qui de adv. p. 565, 14 (p. 155 ap. Uhl.) haec dicit: καλά δ παρὰ Δωριεῦσι γράφεται δὲ ἑτέρου λ καὶ οὐχ ὥς τινες ὑπέλαβον, κατ' Αἰολίδα διάλεκτον· ἐβαρύνετο γὰρ ἄν, πρὸς οἷς οὐδὲ τὸ καλὸς Αἰολεῖς ἐν διπλασιασμῷ τοῦ λ προφέρουσιν, unde apparet Apollonium, cum illud καλλός Aeolicum esse neget non solum

quia ab indole Aeolicae dialecti abhorreat, sed etiam quia ne inveniatur quidem apud Aeolenses, in distribuendis inter singulas dialectos formas nihil statuisse quod non cum vero uniuscuiusque dialecti usu consentiret. Sed si ipsius Herodiani scriptis nos continemus, non potest negari esse quae ei quam modo exposuimus doctrinae adversentur. Hoc sane nihil valere puto quod ex iis formis, quas Boeotis, Aeolensibus, Doriensibus, Ionibus tribuit Herodianus, hodie haud paucae in harum dialectorum usu nusquam inveniuntur, cum harum dialectorum plurimi perierint fontes; sed gravior est locus qui est II, 719, 14: σεσημείωται τὸ Ἄπολλον καὶ Ποσείδαον ὡς παρὰ τῷ ποιητῇ· «πρόφρων νῦν Δαναοῖσιν Ποσείδαον ἐπάμυνον.» ταῦτα γὰρ φυλάξαντα τὸ ω ἐν τῇ γενικῇ οὐκ ἐφύλαξε καὶ ἐν τῇ κλητικῇ αὐτό, ἀλλὰ συνέστειλεν αὐτὸ εἰς τὸ ο· καὶ περὶ μὲν τοῦ Ἄπολλόν ἐστιν εἰπεῖν ὅτι Αἰολικῶς συνέστειλεν τὸ ω εἰς τὸ ο κατὰ τὴν κλητικήν· περὶ δὲ τοῦ Ποσείδαόν ἐστιν εἰπεῖν ὅτι ψευδαιολικόν ἐστιν καὶ οὐ κυρίως Αἰολικόν, ἐπειδὴ οὐκ ἴσασιν οἱ Αἰολεῖς ἐπὶ ταύτης τῆς λέξεως εἰς ων τὴν εὐθεῖαν, ἀλλ' εἰς αν. Ποσείδαν γὰρ λέγουσιν. τῆς οὖν εὐθείας μὴ οὔσης εἰς ων παρ' αὐτοῖς, πῶς δύναται ἡ κλητικὴ εἰς ον γίγνεσθαι διὰ τοῦ ο Αἰολικῶς· τούτου οὖν χάριν λέγομεν, ὅτι ψευδαιολικόν ἐστιν καὶ οὐ κυρίως Αἰολικόν. Quo loco quamquam minime in quaestione dialectica negligitur usus dialectorum, tamen eum ab Herodiano profectum esse vix ac ne vix quidem potest sumi. Agitur enim de voce Ποσείδαον, quam praeterquam quod apud Homerum invenitur, etiam in usu Atticorum olim fuisse veteres grammatici statuebant, cum hinc Atticam formam Πόσειδον derivarent. Quae vox cum pseudoaeolica dicatur, primum vide quam diversam hoc loco habeat vox ψευδαιολικόν significationem atque ceteris locis, ubi eam inveniri supra vidimus (cfr. p. 50 sq.). Illis enim locis pseudoaeolicae vel pseudodoricae dicuntur voces σύνοιδα, σῶτερ, ἐστίν, etsi ipsi Aeolenses et Dorienses his formis usi sunt, propter passionis abnormitatem; sed hic vox Ποσείδαον vocatur pseudoaeolica non propter passionem, quae plane eadem est in voce Ποσείδαον et in voce Ἄπολλον, sed propter id ipsum, quia non hac, sed alia vocis Ποσειδῶν forma Aeolenses usi sunt neque idcirco ipsi hanc formam poterant formare. At si non ab ipsis Aeolensibus formata erat, a quibus eam factam esse putabimus? ab Atticis? sed nullas Aeolicas formas in usu

Atticorum inveniri Herodianum statuisse nisi quae apud Aeolenses reperiebantur, modo vidimus; neque si Ποσείδαον pseudoaeolicum vocatur quia Aeolico more ab Atticis erat formatum, cur non idem sumens in voce ἵστημι hanc quoque pseudoaeolicam dixerit Herodianus, immo nullo modo eius passionem Aeolicam dici posse contenderit, causa ulla inveniri potest. Itaque si, ut videtur, hoc loco Ποσείδαον forma dialectica re vera dicitur, hunc locum graviter a reliqua Herodiani doctrina abhorrere concedendum est, et cum apud solum Choeroboscum tradatur auctoris nomine destitutus, haud scio an aut mutilatum eum a Choerobosco aut temere iniuriaque ab Lentzio in Herodianum receptum esse sumendum sit, etsi aliam causam, cur non Herodianeus sit, nullam certam habeo, nisi forte hoc quoque iustae offensioni est, quod, si eum retinemus in Herodiano, vocis ψευδαιολικόν, ut modo vidimus, duae eaeque diversissimae significationes altera ad passionem altera ad usum pertinens statuendae sunt.

Quae autem formae ex alia dialecto in aliam erant translatae, quas permultas fuisse vidimus, hae etiam conformari atque adaptari poterant eius dialecti in quam translatae erant, legibus; hinc explicatur, quod saepe passiones diversissimarum dialectorum propriae in una eademque voce coniunctas esse sumpserunt grammatici; veluti forma μέμνῃ, quae est forma Attica, sic ab Herodiano explicatur II, 191, 14 sq.: τὸ κάθῃ, μέμνῃ καὶ δύνῃ ἀποβολὴν πεπόνθασι Ἰωνικῶς καὶ συστολὴν τῆς παραληγούσης ὁμοίως Ἰωνικῶς καὶ κρᾶσιν τῶν φωνηέντων Ἀττικῶς οἷον μέμνησαι, μέμνεαι, μέμνῃ. Hanc igitur huius vocis originationem nobis fingamus necesse est, ut sumamus primum ab Ionibus ex μέμνησαι factum esse μέμνεαι, deinde hanc formam in Atticam dialectum translatam solito Atticorum more (nam Attici contractiones adamasse dicuntur) contractam esse. Similem Ionicarum et Atticarum passionum coniunctionem deprehendimus in Attica forma κρέως, de qua apud Herodianum haec leguntur II, 773, 8: καὶ τούτου χάριν ἀποβάλλουσιν τὸ τ οἱ Ἴωνες οἷον κρέατος κρέαος καὶ λοιπὸν Ἀττικοὶ συναιροῦσιν τὸ ο καὶ α εἰς ω κρέως et in forma Ionica ἀγηγέραται, ut ex II, 224, 7 patet: ὡς παρὰ τὸ ἀγείρω ἤγερκα καὶ Ἀττικῶς ἀγήγερκα καὶ παραγωγῇ Ἰωνικῇ ἀγηγέραται et in Attica forma ἐπεποιήκη II, 326, 20: οἱ Ἴωνες τὴν ει δίφθογγον τὴν οὖσαν ἐν τῷ ὑπερσυντελίκῳ διαλύουσιν ἐν τῷ πρώτῳ προσώπῳ

εἰς α οἷον ἐτετύφειν ἐτετύφεα τοῦ ν ἀποβληθέντος ἐπεποιήκεα. οἱ δὲ Ἀθηναῖοι τὸ διαλυθὲν ἐκ τῶν Ἰώνων συναιροῦσιν καὶ ποιοῦσιν εἰς η ἐπεποιήκη λέγοντες. Porro Aeolica et Attica πάθη coniuncta videmus in Aeolica forma λαχόην quae II, 821, 15 ita explicatur λάχοιμι· τοῦτο γίνεται Ἀττικῶς λαχοίην καὶ ἀποβάλλουσιν οἱ Αἰολεῖς τὸ ι καὶ λέγουσι λαχόην, quam passionem satis frequentem esse in Aeolica dialecto ipse testatur Herodianus in antecedentibus (II, 821, 5 sq.); denique Doricas et Atticas proprietates mixtas esse statuit Herodianus in Attica voce ἐσσεῖται II, 34, 9: προπερισπαστέον τὸ ἐσσεῖται· οὐ γὰρ παροξυντέον ὥς τινες, ἐπεὶ Δώριον· ἤδη γὰρ πολλὴ χρῆσις τῶν τοιούτων παρ' Ἀττικοῖς: qua in voce terminatio ειται Dorica est, accentus is, qui non a Dorica, sed ab Attica, in cuiusnam dialecti usum tales formae transierunt, dialecto flagitetur.

Iam ex his exemplis satis dilucide cognoscitur, quod per se verisimile est, formas ex aliis dialectis desumptas ab iis quae eas assumpserunt dialectis iis solis mutationibus potuisse affici quae cum harum dialectorum legibus consentirent. Itaque ut ad locum qui est de verbis in μι II, 825, 2 sq. revertamur, quod Attici φημί et ἵστημι dixerunt, non φαμί et ἵσταμι ut Aeolenses, ita poterat explicari, ut a Ionibus primum φαμί et ἵσταμι solito more in φημί et ἵστημι mutata et ex Ionico sermone Atticos φημί et ἵστημι mutuatos esse sumeretur. Sed quod Attici φημί pro φῆμι et ἵστημι pro ἵστημι dicebant, hoc nullo modo dialectorum quadam mixtione poterat excusari; nam nullius dialecti voces apud ceteras dialectos barytonas in oxytonas mutare ita proprium erat, ut contraria mutatio Aeolensium erat propria; neque spiritum lenem in gravem convertere solebant alii atque recentiores Attici (cfr. I, 540, 23), qui tamen in hac re nihil valebant, cum iam antiquiores Attici dixissent ἵστημι et ἵημι. Itaque si quis nihilominus omnia verba in μι pro Aeolicis habebat, iam nihil reliquum erat nisi ut φῆμι et ἵημι (ἵστημι) scribendum esse contenderet, quod fecisse videtur Tyrannio, de quo Eustathius p. 1613, 18 sq. haec dicit: οὕτω φασὶ καὶ ἀπὸ τοῦ φῶ τὸ Αἰολικὸν φημί· διὸ βαρύνων ὁ Τυραννίων φῆμι γράφει βαρυτόνως Αἰολικώτερον.

Singulas passiones quas Herodianus dialectis tribuit, enumerare longum est neque necessarium; nam breviter libro περὶ παθῶν perlustrato videbis omnia fere passionum genera dialectis

Herodianum adscripsisse, pleonasmum, aphaeresin, syncopam, apocopam etc., maxime autem vocalium consonantiumque mutationes. In universum autem duo genera passionum ab Herodiano dialectis adscriptorum licet distinguere, prius eorum, quae in una tantum voce a dialectis sunt admissa, posterius eorum, quae cum ad omnes eiusdem characteris voces pertinerent, in consuetudinem (ἔθος) vel in characterem alicuius dialecti abiisse dicebantur. Ad illud autem e. g. spectat, quod Attici φωρίαμος pro φωριαμός dixerunt (cfr. II, 21, 2); nam minime in omnibus vocibus pro acuto Attici ponebant gravem accentum; contra ad hoc spectat, quod Aeolenses omnes voces gravi accentu insignire solebant et omnes voces a vocali incipientes cum leni spiritu pronuntiare. Facile enim fieri potest, ut quae in alia dialecto singularis passio sit, in alius dialecti morem atque consuetudinem abierit.

In fine huius capitis nonnullos Herodiani locos emendare conabor, quibus quae de singularum dialectorum usu traduntur, casu corrupta esse videntur.

Primum enim loco qui est II, 229, 15 ἀρνῶν ἐκ κεφαλέων· ὁ κανών· οἱ Αἰολεῖς διὰ τοῦ αων κεφαλάων· οἱ δὲ Δωριεῖς διὰ τοῦ εων κεφαλέων, pro Δωριεῖς sine dubio scribendum est Ἴωνες. Primum enim si scriptores Ionicos et Doricos adhuc servatos perlustramus, invenimus Ionum, non Doriensium proprium fuisse genetivum in εων; deinde ipse Herodianus II, 2, 1 Laconibus tribuit μωσᾶν. Ionibus μουσέων; denique ab aliis grammaticis Ionibus genetivus in εων, Doriensibus in αν adscribitur ut apud Gregor. Corinth. de dial. (ed. Schäfer) p. 379, 4 τὰς εἰς ων ληγούσας γενικὰς πληθυντικὰς ἐρέων, πολέων, Θηβέων λέγουσιν οἱ Ἴωνες et ib. p. 225, 37: τὰς γενικὰς τῶν πληθυντικῶν διὰ τοῦ αν προφέρουσιν οἱ Δωριεῖς μωσᾶν καὶ πασᾶν λέγοντες.

Neque sanus credi potest locus qui est II, 558, 23: οἰκεῖος· οἰκήϊος γὰρ οἱ Δωριεῖς; nam terminatis ηϊος vel ηϊον pro ειος et ειον aliis locis ab Herodiano vocatur Ionica, veluti I, 361, 5 τὰ διὰ τοῦ ηϊον Ἰωνικὰ προπαροξύνεται; contra Doriensibus sive Laconibus tribuitur Λύκηος, ὄρηος (I, 116, 2); itaque aut Δωριεῖς in Ἴωνες est mutandum aut, quod praestat, scribendum οἰκῆος οἱ Δωριεῖς.

Denique vix mihi persuadere possum Lacones re vera χέρρον pro χέρσον dixisse ut traditur II, 604, 20: χέρρον τὴν χέρσον γῆν Λάκωνες, quae mutatio litterarum ρσ in ρρ potius Atticorum erat propria; multo verisimilius est Lacones χῆρον dixisse, ut pro Περσεφόνεια eosdem Πηρεφόνεια dixisse ipse testatur Herodianus II, 568, 22. Itaque χῆρον scribendum.

CAPUT ALTERUM.

De vocibus quas Herodianus dicit poeticis.

Quamquam de dialectologia Herodiani nobis agendum est, tamen priusquam in hac exponenda pergamus, hic genus vocabulorum tractemus oportet, quod ad ipsas dialectos nihil pertinet, sed ad totam Herodiani de dialectis doctrinam intelligendam summi est momenti, eas scilicet voces quas poeticas dicit Herodianus. Sed antequam quid illud ποιητικόν significet apud Herodianum quaeramus, e re videtur paucis exponere verbis, quosnam vox ποιηταί complectatur scriptores. Duplex enim huius vocis vis atque significatio statuenda esse videtur, modo enim omnes poetas designat, modo ad solos epicos et elegiacos est referenda. Ut ab illa quae multo crebrior est significatione proficiscamur, apertissima est locis quales sunt II, 827, 28 τὸ αἰνῶ αἰνέσω ἀναλογώτερόν ἐστι παρὰ τοῖς ποιηταῖς διὰ τοῦ η· οἷον «μῦθον ἐπαινήσαντες Ὀδυσσῆος θεοῖο (B 338)» τοῦ παρὰ τοῖς ἰαμβογράφοις διὰ τοῦ ε λεγομένου ὡς παρὰ Σοφοκλεῖ καὶ Εὐριπίδῃ (cfr. II, 748, 16 et II, 497, 14). Ingens porro locorum numerus est, ubi singuli poetae epici et elegiaci ποιηταί appellantur veluti Homerus, Hesiodus, Callinus (II, 593, 18 Τρῆρες· λέγεται καὶ τρισυλλάβως παρὰ Καλλίνῳ τῷ ποιητῇ «Τρήρεας ἄνδρας ἄγων»). Quare non temere fecisse mihi videor, quod supra, ubi de loco

II, 315, 5 egimus, vocem ποιηταί ad solos epicos poetas pertinere sumpsi.

Tamen non desunt loci quamvis pauci, ubi vox ποιηταί multo ampliore significatione usa ad omnes poetas pertinet veluti II, 680, 38 καὶ παρὰ τοῖς ποιηταῖς πολλάκις ἡ αι καὶ οι. δίφθογγος ἀντὶ κοινῆς παραλαμβάνεται ὡς παρὰ Θεοκρίτῳ «ὑψηλᾶς ἐς πόντον ὁρῶν ἄειδε τοιαῦτα» καὶ παρὰ Μενάνδρῳ... καὶ παρὰ ποιητῇ; quo loco una cum Theocrito et Homero Menander in numero poetarum habetur. Similiter Alcaeus una cum Hesiodo τοῖς ποιηταῖς adnumeratur II, 649, 28 sq. Dubium autem videri potest, quo sensu accipienda sit vox ποιηταί loco libri περὶ μονήρους λέξεως qui est II, 948, 30: οὐδὲν ῥῆμα εἰς ρ λῆγον δισύλλαβον κατὰ τὴν τῶν ποιητῶν χρῆσιν καὶ τῶν πεζῶν ἔχει τὴν πρὸ τέλους συλλαβὴν εἰς ρ λῆγον, ἀλλὰ μόνον τὸ ἔρρω «ὅτε τ' ἤλυθεν ἔνθαδε ἔρρων» καὶ «ἔρρ' ἐκ νήσου θᾶσσον ἐλέγχιστε ζωόντων» (κ 72). Hic enim cum verba qualia sunt δέρρω φθέρρω saepe apud poetas Aeolicos reperiantur, facile opinio potest nasci illud ποιηταὶ ad solos epicos poetas pertinere; quae opinio etiam eo firmatur, quod duo quae afferuntur ex poetis exempla, metro testante ex poetis epicis sunt desumpta. Tamen haec res non omni dubitatione est exempta; nam locus ille etiam ita potest explicari, ut Herodianum sumamus dicere nullum verbum bisyllabum quod non solum a poetis adhibetur, sed et a pedestribus scriptoribus et a poetis sive epicis sive iambicis, in ερρω vel ιρρω terminari. Quam explicationem etiamsi ipsa verba Herodiani fortasse non defendant, tamen prior explicatio multo magis mihi placet.

Sed iam ad ipsas poeticas voces examinandas transeamus. Vox igitur ποιητικός si originem eius spectes, omnia ea significat quae poetarum sunt propria; sed si usum Herodiani respicias, multo angustiore significatione utitur. Rarissime enim apud Herodianum vox quaedam propterea poetica dicitur, quia in solo usu poetarum reperitur, fit tamen II, 524, 25: ἴκω· ἥκω· ἰστέον δὲ ὅτι τὸ ἴκω διὰ τοῦ ι γράφεται ποιητικῶς ἐν τοῖς ἐνεργητικοῖς· τὸ δὲ διὰ τοῦ η γραφόμενον πεζολόγων ἐστὶν καὶ ἰαμβογράφων. Hic enim illud ποιητικόν, ut ex totius loci sensu apparet, nihil significat nisi illud ἴκω in epicorum tantum poetarum usu reperiri, quod aliis locis ut II, 827, 24; 748, 16; 497, 14 verbis

παρὰ τοῖς ποιηταῖς exprimitur, quae haud scio an hic quoque olim scripta fuerint pro voce ποιητικῶς. Est unus praeterea locus, quo vocem ποιητικός eodem sensu usam Lentzius auctore Lehrsio inter verba recepit, sed iniuria, nisi fallor, nempe II, 7, 26 διὸ σημειούμεθα τὸ προσηγορικὸν ποιητικὸν λᾶας. Quodsi λᾶας poeticum vocatur, propter nullam aliam causam hoc factum esse potest nisi quod a solis poetis usurpatum est. Sed cum in ipso codice non scripta sint τὸ προσηγορικὸν ποιητικὸν λᾶας, sed ποιητικῶς τὸ λᾶας, quae sensu carent, Herodianus autem simili loco II, 616, 23 et 26 bis habeat λᾶας τὸ προσηγορικόν neque loco qui est II, 7, 26 illud προσηγορικὸν facile omitti possit, quia praeter appellativum λᾶας in sermone Graeco etiam nomen proprium Λάας fuit, quod posteriorem syllabam minime habet correptam, hoc quoque loco scribendum puto προσηγορικὸν τὸ λᾶας.

Ceterae autem voces quae poeticae appellantur, in eo omnes consentiunt, quod aliquid sunt passae; poeticae igitur dicuntur, non quia in poetarum maxime usu reperiuntur, sed quia poeticam quandam affectionem sunt expertae. Quae vocabulorum poeticorum natura primum inde cognoscitur, quod voces poeticae prorsus ut voces κατὰ διάλεκτον i. e. dialectica passione affectae opponuntur saepe iis, quae γνήσιαι i. e. primitivae sunt, quae cum natura et analogia consentiunt veluti II, 731, 14: τὸ Αἴσων ὄνομα διχῶς κλίνεται· καὶ γὰρ διὰ τοῦ ω διὰ τὸν κανόνα· καὶ διὰ τοῦ ο ποιητικῶς διὰ τὸ μέτρον et I, 435, 15: τὸ λωγῶ οὐ γνήσιον ἔχει τὸ ω, ἀλλὰ ποιητικόν (cfr. II, 168, 11 sq.; II, 746, 23 sq.; II, 439, 25; II, 365 adn.). Adeo in eo poeticae formae cum formis dialectica passione affectis conspirant, quod si forma ab analogiae legibus abhorret, eo excusatur, quod poetica est veluti Πολυδάμα II, 659, 15: πᾶσα γενικὴ διὰ τοῦ ντ κλινομένη καὶ μὴ διφθόγγῳ παραληγομένη ἀποβολῇ τοῦ τος ποιεῖ τὴν κλητικήν... δεῖ προσθεῖναι χωρὶς τῆν εἰς ας ὑπὲρ δύο συλλαβὰς παρὰ τὸ δάμνω συντεθειμένων οἷον Πολυδάμας Πολυδάμα... ταῦτα δὲ λέγομεν εἶναι ποιητικά (cfr. II, 649 28 et II, 728, 11).

Maxime autem formas poeticas esse formas poetica passione affectas apparebit, si singulos locos, ubi vox ποιητικόν invenitur, secundum passionum genera, ad quae pertinet, dispositos enumeraverimus.

Primum igitur poeticae vel ποιητικῶς factae dicuntur voces

quae vocalium productionem vel correptionem sunt perpessae ut Ἴτωνα pro Ἴτονα I, 39, 15, Βιστωνίς pro Βιστονίς I, 95, 30 (cfr. I, 117, 32), Ἄμφῖος pro Ἄμφιος I, 125, 25, νηδῦς pro νηδύς I, 238, 10, ἠχέεις, βρωμέεις pro ἠχήεις etc. I, 392, 12, καρός pro κηρός I, 398, 5, λωγῶ pro λογῶ I, 435, 14, ἀμισθί pro ἀμισθί I, 505, 9, δεῦρο pro δεύρω I, 507, 13. ἱερός pro ἱερός I, 530, 10, βᾶν pro βὰν I, 533, 31 τιθήμενος pro τιθέμενος II, 354, 10 ἀναιδία, εὐγενία, εὐμαθία pro ἀναίδεια etc. II, 453, 9 (cfr. II, 453, 15) Μᾶσης pro Μάσης II, 681, 20, λῖς pro λίς II, 698, 11 τυφεδῶνος pro τυφεδόνος II, 728, 21, Αἴσωνος pro Αἴσονος II, 731, 14. μήστωρος similia pro μήστορος II, 748, 35. ζεῦγλα pro ζεύγλη II, 752, 33 κυνῶπα pro κυνώπη II, 690, 10. ὠφέλια pro ὠφέλεια II, 611, 1. δίδωθι pro δίδοθι II, 842, 22 ἐάσουσιν II, 808, 12. pro ἐάσουσι.

Deinde consonantium geminatio vocatur poetica in his formis: ἔσσεται pro ἔσεται II, 304, 4. (cfr. II, 304, 13). ἄδδην pro ἄδην II, 306, 22 (cfr. II, 285, 6) ἔδδεισεν pro ἔδεισεν II, 285, 6.

Tum saepissime pleonasmus vocalis alicuius dicitur poeticus: Τύμωλος pro Τμῶλος I, 156, 4. Ἀσπληδών pro Σπληδών II, 168, 11 εἰνί pro ἐνί II, 197, 28 ἀκράαντος pro ἄκραντος II, 220, 26. Τελαμωνίδης II, 221, 19. πετεηνός pro πετηνός II, 226, 10 γεμέωσι pro γέμωσι II, 230, 4 εἷο pro ἕο II, 267, 7 (similiter ἐμεῖο, σεῖο)· νοῦσος, Οὔλυμπος pro νόσος, Ὄλυμπος II, 271, 17. ξυνέηκε, ἔειπε pro ξυνῆκε, εἶπε II, 788, 27. διδοῦναι pro διδόναι II, 931, 15. Denique poeticus pleonasmus litterae ε sine dubio etiam statuendus est in voce ῥιπτῶ, de qua I, 433, 19 haec leguntur: ῥίπτω· τὸ γὰρ ῥιπτῶ Ἀττικὸν ἢ ποιητικόν; ῥιπτῶ enim ex ῥίπτω factum sumi potest pleonasmo litterae ε ῥιπτέω, ut γεμέωμεν ex γέμωμεν (II, 230, 5), et contractione ῥιπτῶ.

Ut vocalium, sic consonantium pleonasmus poeticus habetur hisce locis: κεκλήγοντες pro κεκληγότες I, 434, 7. πτόλις πτόλεμος pro πόλις πόλεμος II, 292, 22. ὑπεμνήμυκε pro ὑπεμήμυκε II, 359, 10. θέμιστος pro θέμιτος II, 700, 15. His locis addiderim locum qui est II, 496, 5: ἐγών· Δωριέων διάλεκτός ἐστιν· ἢ καὶ ὁ ποιητὴς ἐκκλίνας τὴν χασμωδίαν τῶν φωνηέντων εἶπε τὸ ἐγὼν μετὰ τοῦ ν.

Deinde vocalium contractio poetica vocatur II, 330, 25 τὸ θεὺς ἐκ συναλοιφῆς ἐστι ποιητικόν, porro dissolutio II, 377, 23 ὑπερώϊον pro ὑπερῷον (similia), ὀΐω pro οἴω (II, 456, 10).

Saepissime deinde augmenti sive temporalis sive syllabici omissio dicitur poetica:

II 37, 31 B 808: δ' ἔλυσ'· τινὲς ἀπὸ τοῦ λ ἀρχὴν ποιοῦσιν, ἵνα ποιητικώτερον γένηται.

II, 60, 15 Θ 161: περὶ μέν σε τίον· τὸ τίον ποιητικώτερον ἀπέβαλε τὸν κατ' ἀρχὴν χρόνον.

II, 61, 7 Θ 229: ὅτι δὴ φαμεν· οὐκ ἀναγκαῖον ὀξύνειν τὸ δὴ ἵνα κρᾶσις γένηται· ἐπὶ τούτου τοῦ παρῳχημένου δύναται ποιητικῶς ἀποβεβλῆσθαι τὸ ε.

II, 87, 29 N 543: ἐάφθη· ὁ Τυραννίων ἐκδέχεται ἀπὸ τοῦ ἅπτω, οὗ γίγνεται ἀόριστος, φησίν, ἥφθη καὶ ποιητικῶς ἄφθη.

II, 89, 14 Ξ 171: κάθηρε· τρίτην ἀπὸ τέλους ἔχει τὴν ὀξεῖαν... ὡς ἀπὸ τοῦ μεγαίρω ἐμέγηρε καὶ ποιητικῶς μέγηρε etc.

II, 106, 29 Σ 100: τὸ δῆσεν διουλλάβως ἐκδεκτέον ποιητικόν.

II, 120, 26 Ψ 70: ἀκήδεις ἄμεινον βαρύνειν ὡς ἐνόει, τῆς ἀρχούσης συσταλείσης ποιητικῶς ὡς παρὰ τοῦ ἤκουσα ἄκουσα.

II, 196, 1 T 210: ὑπείρεχεν· ἔστι τὸ ῥῆμα ἔχω καὶ ὁ παρατακτικὸς ἔχον ποιητικός.

Non augmenti, sed reduplicationis omissio vocatur poetica II, 361, 7: ἡ μετοχὴ συνωχωκὸς (B 218) συνωχωκότες καὶ συστολῇ Ἰωνικῇ ἢ ποιητικῇ συνοχωκότες.

Alia in reduplicando abnormitas vocatur poetica II, 789, 43: τὸ δὲ ῥερυπωμένα ἀντὶ ἐρρυπωμένα (ζ 59), ῥεραπισμένῳ νώτῳ παρὰ Ἀνακρέοντι καὶ ῥερῖφθαι ἔπος παρὰ Πινδάρῳ κατὰ τὴν ποιητικὴν ἐξουσίαν οὕτω γέγονεν.

Multae porro formae, quae metaplasmum passae sunt vocantur poeticae: φύγα pro φυγήν, σκέπα pro σκέπην I, 498, 8. Φόρκυν pro Φόρκυνα II, 105, 22. ἄστρασιν, ἔγκασι, πρόβασι, πέταλσι pro ἄστροις, ἐγκάτοις, προβάτοις πετάλοις II, 119, 16 νεφεληγερέτα, ἱππότα II, 635, 6. Βία, Θόα, Αἶα Δρύα pro Βίαντος etc. II, 649, 8 Πολυδάμα pro Πολυδάμαν, Λαοδάμα pro Λαοδάμαν II, 659, 11.

Poeticae deinde vocantur nonnunquam αἱ ἀπὸ τῶν γενικῶν εὐθεῖαι i. e. formae quae ex genetivis nominativi sunt factae veluti II, 38, 28: Τροιζήνοιο· ἀπὸ γενικῆς τῆς Τροιζῆνος ἐγένετο εὐθεῖα ἔθει ποιητικῷ (cfr I, 70, 7).

Tum numerorum et generum commutationes dicuntur poeticae ab Herodiano veluti I, 48, 4 προσέθηκα δὲ μὴ μετατιθέμενα κατά τι ἔθος ποιητικὸν εἰς γένος διάφορον διὰ τὸ ῥαιστῆρα κρατερήν

(Σ 477), ὕλην σεγαστῆρα· τοιαῦτα γάρ ἐστιν ὁποῖα ἡ αἰθήρ, ἡ ἀήρ. (cfr. II, 747, 27: τὸν ῥαιστῆρα, τὴν ῥαιστῆρα, τὸν ἀέρα τὴν ἀέρα τὸν σωτῆρα, τὴν σωτῆρα οὐκ ἀντίκειται ἡμῖν, ἐπειδὴ κατὰ ποιητικὴν ἐξουσίαν ἀπὸ ἀρσενικοῦ γένους μετηνέχθη εἰς θηλυκὸν), deinde πόρνοι, πέτροι, βάκχοι, ὄχθοι, χῆροι, κοῦροι, παιδίσκοι pro πόρναι, πέτραι etc. I, 425, 34, tum Κρῆται pro Κρήτη I, 342, 21, Θέσπειαν pro Θεσπείας II, 34, 25.

Poeticam porro licentiam in eo agnoscit Herodianus, quod nonnullorum verborum futura praesentis loco ponuntur veluti II, 447, 9 τὸ δὲ οἴσω, οὗ τὸ προστακτικὸν οἶσε, καὶ δύσω καὶ βήσω κατὰ ποιητικὴν ἄδειαν μετηνέχθη ἀπὸ μέλλοντος εἰς ἐνεστῶτα, similiter ἴξω, ἄξω, ὄψω pro ἵκω, ἄγω, ὄπτω I, 456, 2, ὄρσω, ἄξω, οἴσω II, 783, 27, οἴσω II, 802, 11. Extremo denique loco addam nonnulla quae ad rhetoricam magis quam ad grammaticam artem speetant veluti II, 35, 12 δυοκαίδεκα· Πάμφιλος τρία ποιεῖ καὶ κατὰ παράθεσιν ἀναγιγνώσκει· ἀφορμὴν δ' ἔχει τὴν ποιητικὴν χρῆσιν, ἣ κατὰ παράθεσιν πολλάκις ἐνιοῖ ὡς τὸ πασιμέλουσα. et II, 60, 38 οὐδενόσσουρα ὡς κυνόσουρα ὑφ' ἓν κατὰ σύνθεσιν· εἰ καὶ σπάνιος ἡ τοιαύτη σύνθεσις, ἀλλὰ οἵ γε ποιηταὶ τολμῶσι ξένας συνθέσεις. II, 93, 21 Δουλόπολις· πόλις κατὰ Κρήτην· σημειωτέον, ὅτι Κρατῖνος ἐν Σερίφοις πόλις Δούλων φησίν. Ἀπολλώνιος δὲ φησιν μὴ δεῖν ταύτας τὰς συνθέσεις ἐναλλάσσειν δίχα ποιητικῆς ἀνάγκης. (cfr. II, 54, 30).[1]

Quibus ex locis satis dilucide apparet formas, quae poeticae dicuntur, omnes passione aliqua esse insignes. Sed cum supra viderimus tales voces, quae aliquid sunt passae, dialectis saepissime tribui atque κατὰ διάλεκτον maxime appellari, iam quaenam ratio intercedat inter formas poeticas et formas κατὰ διάλεκτον, accuratius est examinandum. Atque hoc pro certo affirmare licet nunquam unam eandemque formam et poeticam et dialecticam dici ab Herodiano, immo diversissima verborum genera complecti voces poeticas et voces κατὰ διάλεκτον. Hoc enim primum docet locus qui est II, 271, 17: τὸ δὲ νοῦσος καὶ Οὔλυμπος

[1] Loco qui est I, 540, 11 δασύνεται τὸ ἅλς καὶ τὸ παρ' αὐτὸ ἅλιος παρὰ τὴν ἁλὸς γενικὴν ποιητικῶς μετενεχθὲν Lentzius calami, ut videtur, errore scripsit ποιητικῶς pro κτητικῶς; nam ut ipse in adnotatione ad hunc locum confitetur, haec desumpsit ex Iliaca Pros. Δ 26 (II, 43, 8), ubi haec sunt: δασύνεται τὸ ἅλιον· παρὰ γὰρ τὴν ἁλὸς γενικὴν κτητικῶς μετηνέχθη.

ποιητικά ἐστι καὶ οὐκ Αἰολικά; nam cum hic opposita sint inter se poetica et Aeolica, sumendum est aut solis Aeolicis formis aut, quod multo verisimilius est, omnino dialecticis vocibus esse contrarias poeticas formas. Accedit quod pluribus locis utrum poetica an dialectica sit vox quaedam, dubitat Herodianus veluti II, 354, 10: τιθήμενος ἤτοι ποιητικῶς ἔκτασις ἢ διαλέκτῳ ἀναπέμπεται et I, 453, 19 ῥιπτῶ ποιητικὸν ἢ Ἀττικόν et II, 361, 7 συνοχωκότε Ἰωνικῇ ἢ ποιητικῇ συστολῇ. Quodsi poeticum nihil aliud esset nisi dialecticum i. e. Ionicum, Atticum, Doricum etc., certe cur his locis voces illas aut poeticas aut dialecticas diceret Herodianus, causa nulla esset. Hinc igitur sequitur nos recte fecisse quod supra scripsimus loco qui est II, 304, 4: ἔσσεται διὰ δύο σσ ποιητικῶς [ἢ Σικελικῶς]. οἱ γὰρ Σικελοί etc.; nam quia Siculorum propria est forma quaedam, propterea Sicula potest appellari, non potest dici poetica. Neque minus certum est loco Choerobosci ab Lentzio in adnotatione ad II, 792, 12 posito, quem in universum Herodiani doctrinam referre statuimus, non posse ab Herodiano profecta esse verba τὰ ποιητικὰ Ἰωνικά (p. 793 fin); etenim quae Ionica sunt, non simul poetica secundum Herodianum possunt appellari.

Cum autem poeticae voces a dialecticis vocibus sine dubio sint distinguendae, iam illud quaeritur, quibusnam distinguendi notis usus Herodianus voces passione aliqua affectas alias poeticas, alias κατὰ διάλεκτον dixerit. Statim autem rem minime ita eum instituisse apparet, ut alia passionum genera poetis, alia dialectis tribueret, nam quas passiones poetica licentia factas Herodianum sumpsisse modo vidimus, veluti vocalium correptiones productionesque, vocalium consonantiumque pleonasmos etc., eas omnes in aliis vocibus adscribit dialectis, quibus omnia fere passionum genera Herodianum tribuisse supra monuimus. Nihilo minus ipsam passionum naturam ad discernendas poeticas et dialecticas voces aliquid valere puto; quod quale sit cognoscemus, si qua de causa poeticas passiones fieri Herodianus sumpserit, accuratius examinaverimus.

Atque ipse quidem Herodianus plurimas quae poeticae ab eo dicuntur formas et passiones m e t r i causa factas esse (διὰ τὸ μέτρον) diserte testatur. Nam ut a correptione et productione

vocalium initium faciamus, quas poeticas saepissime dici supra vidimus, hae propter metrum fieri dicuntur hisce locis :

τυφεδῶνα pro τυφεδόνα I, 25, 23 (cfr. II, 728, 21, ubi eadem vox poetica appellatur) Κικόνεσσιν pro Κικώνεσσιν I, 148, 20, ἐπωρῑνός pro ἐπωρῐνός I, 182, 20, ὑποδεξῑη I, 292, 23. πέρδῑκος, χοίνῑκος pro πέρδῐκος etc. I, 524, 27. κήρῡκι pro κήρῠκι I, 525, 14. ἴλῡος pro ἴλῠος I, 525, 7. Ἀσκληπῑου pro Ἀσκληπῐου II, 36, 38. Ἰφῑτου pro Ἰφῐτου II, 35, 1. ἀντικρῠ pro ἀντικρῡ II, 48, 19. φθᾱνει pro φθᾰνει II, 66, 39. νύν pro νῦν II, 69, 32. ἤνιν pro ἦνιν II, 71, 10. ἀνεψῑου pro ἀνεψῐου II, 96, 17. Φόρκῡς pro Φόρκῠς II, 105, 22. λῡτο pro λύτο II, 124, 7. ἴληθι pro ἴλαθι II, 137, 40. Μασσαγῆτις pro Μασσαγέτις II, 354, 7. ἐπλήγη pro ἐπλάγη II, 359, 20. τετριγῶτες pro τετριγότες II, 364, 36 (cfr. adn. ad. frg. 601 περὶ παθῶν). Ἀχερόντιος, γερόντιος pro Ἀχερόντειος etc. II, 443, 13 (cfr. II, 453, 9—15) Αῐας pro Αἴας II, 617, 22. ζελά pro ζελᾷ II, 666, 22. εἴρενος pro εἴρηνος II, 719, 3. Ἀκταίονος pro Ἀκταίωνος II, 725, 33. Νάρονος pro Νάρωνος II, 734, 8. (cfr. praeterea II, 681. 20 et II, 728, 21).

Videmus igitur metri causa secundum Herodianum vocales breves ε, ι, υ, ο produci in η, ῑ, ω, ῡ, vocalem brevem α aut in ᾱ, ut in φθάνει (II, 66, 39) aut in η, ut in ἴληθι (II, 137, 20); contra vocales longas α, ι, ω, υ corripi in ᾰ, ῐ, ο, ῠ, vocalem longam η aut in ᾰ ut in ἐπλάγη (II, 359, 20) aut in ε ut in εἴρενος (II, 719, 3), diphthongos ει et ᾳ corripi in ι et α; quas ipsas vocalium commutationes, ut ex locis supra allatis apparet, poeticas dixit Herodianus.

Deinde consonantes metri causa geminari, quae geminatio et ipsa poetica dicitur, testatur Herodianus II, 49, 10 Νικίας διὰ δύο δδ γράφει ἄδδην διὰ τὸ μέτρον.

Nec non pleonasmos vocalium et consonantium saepe, ut supra vidimus, poeticos dictos propter metrum factos dicit technicus veluti πῦίρ pro πῦρ I, 399, 1 Τελεμησσός pro Τελμησσός II, 227, 27. πτόλιος pro πόλιος II, 152, 4. ἐμνήμυκα pro ἐμήμυκα II, 359, 10.

Diaeresin et contractionem metri causa fieri apparet ex II, 53, 19, ubi metrum causa esse dicitur, cur ἔγχεϊ apud Homerum legatur pro ἔγχει.

Porro augmenti omissionem quam et ipsam poeticam dici

vidimus, ex Herodiani sententia propter metrum factam esse efficere possumus ex his locis : II, 788, 6 : ταῦτα δὲ παρὰ τοῖς ποιηταῖς ἄτρεπτα ἔμεινε διὰ τὸ μέτρον... ἄκουεν ἀντὶ τοῦ ἤκουεν, ἔλαυνεν ἀντὶ τοῦ ἤλαυνεν. II, 43, 13 : τὸ δὲ ἴδρωσα οὐκ ἀναγκαῖον συστέλλειν· δύναται γὰρ καὶ ἐκτείνεσθαι καὶ μηδὲν λυμαίνεσθαι τῷ μέτρῳ.

Deinde metaplasmus propter metrum fieri dicitur I, 60, 27 πολλά ἐστι διχῶς κλινόμενα οἷον μύκης μύκητος καὶ ὅτι οὐ τὸ μέτρον αἴτιον, δῆλόν ἐστι Ἑκαταῖος οὕτω κλίνας.

et generum permutatio II, 1249 (ad II, 227, 14) τὴν Σάμην εἴρηκε Σάμον διὰ τὸ μέτρον (ad 0, 29) καὶ τὴν δείλην δείελον ἐν ἄλλοις.

Denique propter metrum fieri dicitur etiam vocalium et consonantium omissio, quae passio casu poetica nusquam appellatur, II, 220, 7 : ἄνα pro ἄναξ, II, 730, 16 : ἀμφόδονος pro ἀμφόδοντος, II, 252, 12 : ληΐβοτείρης pro ληϊοβοτείρης, ἔρεξε pro ἔρρεξε II, 789, 41.

Quare secundum Herodianum formas poeticas permultas propter metrum inventas esse satis dilucide apparet; neque illud negari potest propter hiatum formas a poetis nonunquam immutatas esse Herodianum sumpsisse. Etenim II, 195, 18 haec dicit : ἐγὼν Δωριέων διάλεκτός ἐστιν. προσλαμβάνει τὸ ν. ἢ καὶ ὁ ποιητὴς ἐκκλίνων τὴν χασμωδίαν τῶν φωνηέντων εἶπε τὸ ἐγὼν μετὰ τοῦ ν. Hinc igitur aut Dorienses aut poetam i. e. Homerum evitandi hiatus causa formam ἐγών invenisse apparet. Atque simile quid subesse puto loco qui est II, 659, 25 sq. : παρὰ Πινδάρῳ τὸ ἀκαμαντοχάρμαν Αἴαν, περὶ οὗ ἐστιν εἰπεῖν ὅτι κατὰ συνεκδρομὴν τοῦ Αἴαν ἐγένετο ἀκαμαντοχάρμαν μετὰ τοῦ ν διὰ τὴν ἐπαλληλίαν τῶν φωνηέντων, ἐπεὶ εἰ οὕτω ἐγένετο ὦ ἀκαμαντοχάρμα Αἴαν, ἀλλεπαλληλία ἔμελλεν εἶναι τῶν φωνηέντων καὶ κακοφωνία ἐγένετο. Hic igitur dicitur propter τὴν ἀλλεπαλληλίαν τῶν φωνηέντων Pindarum addidisse litteram ν in voce ἀκαμαντοχάρμαν. Sed quid tandem significat illud ἀλλεπαλληλία hoc loco? Quam enim vulgo habet vim, ut hic quoque habeat, fieri non potest. Vulgo enim significat repetitionem eiusdem vocalis in pluribus syllabis sese excipientibus. Sed minime tali repetitioni mederi poterat Pindarus addita littera ν. Itaque sumamus necesse est illud ἀλλεπαλληλία τῶν φωνηέντων dictum esse sine dubio Choe-

robosci negligentia pro χασμωδία τῶν φωνηέντων, qua voce II, 189, 10 Herodianus designat vocalium concursum vel hiatum, atque hiatus evitandi causa ut Homerum ἐγών, sic Pindarum ἀκαμαντοχάρμαν sibi finxisse.

Aliam etiam praeter metrum et hiatum passionum poeticarum causam, nempe euphoniam, admisisse Herodianum facile quis putaverit propter locum qui est II, 252, 11 ληϊβοτείρης... ληϊοβότειρα ἔδει εἶναι· συνεκόπη γὰρ διὰ τὸ μέτρον· ἐπάλληλοι γὰρ εὑρίσκοντο τρεῖς βραχεῖαι καὶ κακοφωνία ἐγένετο. Sed hunc locum corruptum esse statim apparet; minime enim Herodianus dicere poterat διὰ τὸ μέτρον elicam esse vocalem ο, quia servata hac vocali cacophonia fieret, quae omni sensu carent. Immo aut propter metrum aut propter euphoniam ληϊβότειρα pro ληϊοβότειρα dictum esse sumere poterat. Nam propter metrum illud ο eiectum esse videri poterat, quia tres syllabae sese excipientes non conveniebant dactylico metro veluti ipse Herodianus in voce ἀθάνατος primam syllabam productam esse dicit, quia αἱ τρεῖς σύλλαβαι βραχεῖαι ἄθετοί εἰσιν εἰς ἡρωϊκὸν μέτρον. (cfr. I, 521, 25); propter euphoniam autem, quia ἡ παραλληλία φεύγεται ἐν πολλαῖς λέξεσιν euphoniae causa, ut dicit Herodianus II, 797, 16 (cfr. II, 388, 26). Itaque hoc loco de voce ληϊβότειρα scribendum puto διὰ τὸ μέτρον [ἢ διὰ τὴν εὐφωνίαν]· ἐπάλληλοι γὰρ etc. Praeter hunc locum nullum invenies, ubi forma quaedam poetice immutata esse dicatur propter euphoniam. Nam quod Choerobossus tradit Homerum propter euphoniam dixisse σπέους et δέους pro δέευς et σπέευς (apud Herod. II, 775, 30), ne duo ε vicina essent, hinc, si omnino ab Herodiano haec verba profecta sunt, minime efficere licet Homerum propter euphoniam finxisse formas σπέους et δέους, sed hoc tantum, eum euphoniae causa modo Ionica et Dorica genetivi forma in ευς, modo Attica in ους esse usum.

Neque magis quam euphoniam, Herodianum analogiam causam poeticarum passionum in eis quae supersunt fragmentis unquam dixisse puto, quamquam ut contrarium sumamus, postulare videntur loci qui sunt II, 67, 6 et II, 744, 10 sq. Prior enim hic est: εἷο: ἔστιν ἐμοῦ, σοῦ, οὗ· αὗται αἱ γενικαὶ γίνονται κατὰ διάλυσιν ἐμέο σέο, ἕο· καὶ ἐπειδὴ αἱ διαλελυμέναι γενικαὶ οὐδέποτε τὰ δύο φωνήεντα ἔχουσι μακρὰ ἢ βραχέα, ἀλλὰ τὸ

μὲν ἓν μακρόν, τὸ δὲ ἕτερον βραχὺ οἷον Ἀτρείδεω, Πηλείδεω, Ὠκεάνοιο, τούτου χάριν ἐπλεόνασε τὸ ι ποιητικῶς καὶ λέγεται ἐμεῖο, σεῖο εἷο. Hic igitur poeticus pleonasmus vocalis ι analogiae causa factus esse dicitur, nimirum ut horum dissolutorum genetivorum (ἐμέο, σέο, ἕο) eadem ratio prosodiaca esset, quae est ceterorum. Sed haec vix recte se habere iam inde licet suspicari quod formas poetica passione affectas vel maxime contrarias analogiae esse iam supra (cfr. p. 63) vidimus. Possumus sane, ut hanc difficultatem expediamus, illud ποιητικῶς ita explicare, ut id nihil significare sumamus nisi παρὰ τοῖς ποιηταῖς ut loco de voce ἵκω (cfr. p. 62 sq.); nam formae ἐμεῖο, εἷο, σεῖο re vera nusquam reperiuntur nisi apud poetas; sed totam hanc rem alio modo diiudicandam puto nixus Apollonii Dyscoli loco qui est περὶ ἀντων. p. 82 C sq. Quo ex loco apparet ab veteribus grammaticis duas de formis ἐμέο et ἐμεῖο prolatas esse sententias; alteri ἐμεῖο priorem formam rati ἐμεῖο statim ex ἐμοῦ derivabunt per dialysin et adiectionem litterae ι propter analogiam factam, ex ἐμεῖο autem ἐμέο deducendum esse putabant omissione litterae ι; alteri vero ἐμέο priorem formam ducentes ἐμέο ex ἐμοῦ propagabant per dialysin, ex ἐμέο autem formam ἐμεῖο per pleonasmum litterae ι, quem sine dubio poeticum dicebant. Itaque pleonasmum litterae ι in forma ἐμεῖο, qui priorem formam putabant ἐμεῖο, propter analogiam, qui ἐμέο pro nativa habebant, poetice factum contendere poterant; sed nostro loco male commixta utraque sententia et propter analogiam et poetice ille pleonasmus factus esse dicitur. Itaque ut verum sensum hic locus praebeat, illud ποιητικῶς delendum est, quamquam ipsum Herodianum plane ut Apollonium l. c. utramque grammaticorum sententiam attulisse puto.

Similis duarum diversarum sententiarum confusio facta videtur altero quem supra significavimus loco qui est II, 744, 10. Hic enim Choeroboscus primum dicit (l. 10-20) genetivum vocis κὴρ propter analogiam καρὸς dici; deinde eandem formam καρὸς non κατὰ ἀκόλουθον κλίσιν, sed κατὰ ποιητικὴν συστολὴν τοῦ η εἰς α factam esse perhibet (l. 20-27). Quae cum aperte inter se contraria sint, puto grammaticis aliis illud καρὸς poetice pro κηρὸς, aliis analogice ex κὴρ derivatum contendentibus Choeroboscum utramque sententiam male inter se coniunxisse, cuius Choero-

bosci operae indicium etiam id superesse videtur, quod eosdem versus Homericos bis eodem loco eiusdem rei exempla affert (primum l. 12 et 14, deinde l. 25 et 27).

Itaque ab ipso Herodiano nullas alias causas poeticarum passionum diserte commemorari contendere licet nisi metrum et hiatum, sed quaeritur num re vera alias nullas agnoverit, num hae sufficiant ad eas omnes quas poetice affectas dicit Herodianus voces, explicandas. Atque longe plurimas quidem ex iis formis quae poeticas dici supra ostendimus, metri vel hiatus causa factas esse optime sumi potest; attamen paucae sunt, quae primo saltem obtutu ad metrum et hiatum nihil pertinere videntur. Sic enim augmenti omissionem quamquam permultis locis metro poscitur, tamen nonnunquam admittit Herodianus nec metro nec hiatu poscente veluti II, 43, 12, in voce ἵδρωσα; porro pro singulari numero Θέσπειαν quem poetice adhibitum contendit Herodianus II, 34, 27, quin plurali Θεσπείας uteretur, nihil impedivisse videtur poëtam, est enim versus hic (B 498): Θέσπειάν τε Γραῖάν τε; neque quidquam ad metrum vel ad hiatum interesse, utrum Πολύδαμα an Πολύδαμαν (II, 659, 11: Πουλυδάμα σὺ μὲν οὐκέτ' etc.), utrum οἴσω, ἄξω, ὄψω an οἴω, ἴκω, ὄπτω dicatur, nobis quidem videtur. Sec aliter atque nos de plurimis ex his formis veteres iudicasse grammaticos ex ipso Herodiano demonstrari potest. Nam II, 43, 12 de voce ἵδρωσα haec leguntur ἵδρωσα· οὐκ ἀναγκαῖον συστέλλειν· δύναται γὰρ καὶ ἐκτείνεσθαι καὶ μηδὲν λυμαίνεσθαι τῷ μέτρῳ. Itaque etsi sive correpta sive producta littera ι semper longam syllabam efficiebat huius vocis prima syllaba, tamen si pro ἵδρωσα scribitur ἵδρωσα, hanc vocem metro mutilatam contendit Herodianus, unde plane apparet veteres grammaticos, ubicunque de metro agebatur, distinxisse inter syllabas sola aut positione longas et syllabas et natura et positione longas atque aliquid interesse putavisse, utrum haec an illa poneretur. Idem, quod hoc loco, docemur loco qui est II, 775, 27, ubi Choerobosco dicente δέους et σπέους non propter metrum ab Homero dicta esse pro δέευς et σπέευς, quia «καὶ εἰ εἰς ευς ἐποίησε (scil. Ὅμηρος) ταύτας τὰς γενικάς, ἡ αὐτὴ μακρὰ εὑρίσκετο, illud ἡ αὐτὴ μακρὰ demonstrat diversa longarum syllabarum genera in rebus metricis distinxisse antiquos grammaticos

neque si fortasse in voce δέους pro δέευς dicta non eadem longa syllaba, sed syllaba et natura et positione vel sola positione longa exstitisset, propter metrum hanc mutationem ab Homero factam esse Herodianum negaturum fuisse.[1] Quae cum ita sint, quin etiam plurimas ex formis supra notatis Herodianus propter metrum affectas putaverit, dubium mihi non est; nam in formis ἵδρωσα Θεσπείας, Πολυδάμαν mutatione, quam poeticam dicit Herodianus, facta etiam longarum syllabarum ἵδρ, αν (in Θέσπειαν), μα (in Πολυδάμα) natura immutatur, cum ex syllabis et natura et positione longis fiant syllabae sola aut positione aut natura productae. Restant igitur formae οἴσω, ὄψω, ἴξω quas omnino ad hanc grammaticae doctrinae partem, quam nos tractamus, nihil pertinere puto; in his enim vocibus non ipsarum grammaticarum formarum, sed significationis poetica mutatio est statuenda, cum tempus futurum poetice eodem sensu usum adhibeatur, quo vulgo praesens, ipsum futurum autem analogico modo sit formatum.

Quare mihi minime necessarium videtur sumere praeter metrum et hiatum ullam poeticarum passionum causam statuisse Herodianum; immo hanc primam poeticarum formarum notam, qua a formis dialecticis distinguerentur, fuisse puto, quod poeticae formae omnes eae debebant esse, quae metri corrigendi vel hiatus evitandi causa inventae esse sumi possent. Quod si verum est, necessario hinc efficiendum est a poeticis formis prorsus alienas putavisse Herodianum mutationes consonantium simplicium in simplices vel duplicum in duplices et vocalium brevium in breves vel longarum in longas; atque re

[1] Prorsus eandem rem, quam hic ex Herodiani locis efficere conati sumus, disertis verbis docet Dionysius Halicarn. de compos. verborum p. 108: Ἀρκεῖ γὰρ ὅσα εἰς τὴν παροῦσαν ὑπόθεσιν ἥρμοττεν, εἰρῆσθαι, ὅτι διαλάττει καὶ βραχεῖα συλλαβὴ βραχείας καὶ μικρὰ μικρᾶς καὶ οὔτε τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν οὔτε ἐν λόγοις ψιλοῖς οὔτ' ἐν ποιήμασι καὶ μέλεσι διὰ ῥυθμῶν ἢ μέτρων κατεσκευαζομένοις πᾶσα βραχεῖα καὶ πᾶσα μακρά. Neque illud ignoratur quantum in Nonni arte metrica valuerit haec diversarum et brevium et longarum syllabarum distinctio. — Ceterum ex Herodiani locis aliquo modo huc pertinet etiam locus qui est II, 709, 18: τὸ γὰρ φύσει μακρὸν μεῖζόν ἐστιν τοῦ θέσει μακροῦ.

vera inter formas poeticas ab Herodiano dictas quas supra enumeravimus ne unum quidem [1] exemplum talis mutationis invenitur, quod vel maxime probare atque firmare mihi videtur nos recte metrum et hiatum solas poeticarum passionum causas ab Herodiano admissas esse statuisse.

Sed formas, quarum passiones metro vel hiatu explicari poterant, minime omnes Herodianus dixit poeticas, immo ex his quoque permultas tribuit dialectis; itaque alterum quoque poeticarum formarum, ut ita dicam, criterium fuerit necesse est. Quod nullum aliud potest fuisse nisi usus observatio: ex uniuscuiusque talium formarum usu utrum poetica an dialectica esset habenda, diiudicavit Herodianus.

Quod cum in universum facile intellegeretur, in persequenda hac ratione paulo insolentiorem viam Herodianus est secutus. Nam ut primum commemorem, quod maxime mirum nobis videtur, minime eas solas formas poeticas dixit Herodianus, quae in usu solorum poetarum reperiebantur; immo nonnullas quoque, quibus praeter poetas pedestres scriptores erant usi: putabat nimirum Herodianus quae a poetis poetica licentia inventa essent, ea postea in pedestrium quoque scriptorum usum haud raro transiisse, plane ut formas a dialecto quadam inventas postea in aliarum quoque dialectorum usum translatas esse eum saepe sumpsisse supra vidimus. Quod quam verum sit, aperte demonstrat locus qui est II, 1246, 4 Κικόνεσσι διὰ τὸ μέτρον συστέλλει τὸ κο· τὰ γὰρ ἐθνικὰ διὰ τοῦ ω μεγάλου κλίνεται· Λάκωνες, Κίκωνες· τοῦτο δὲ ἐπεκράτησεν ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ διὰ τοῦ ο μικροῦ. Hic igitur dicitur deberi quidem flecti vocem Κίκων secundum analogiam per ω, sed Homerum propter metrum poetice ω in ο mutasse atque ita hanc formam incre-

[1] Nihil ad hanc rem pertinet locus de voce ἴκω II, 524, 25, de quo iam supra diximus (cfr. p. 62 sq.). Nam minime hoc loco contendi ἴκω poetica mutatione τοῦ ι in η ex ἥκω factum esse, sed illud ποιητικῶς nihil significare nisi παρὰ τοῖς ποιηταῖς solis adhibitam esse formam ἴκω cum totus illius loci sensus, ut iam supra significavimus, ostendit tum propterea necessario sumendum est, qui veteres grammatici neqne ἴκω ex ἥκω neque ἥκω ex ἴκω per vocalium commutationem derivabant, sed ἴκω et ἥκω prorsus diversa θέματα esse sumpserunt, ut apparet ex Eust. p. 109, 28 sq.

bruisse. Et invenimus non solum apud Homerum, sed etiam apud Herodotum, Hecataeum, Strabonem, Diodorum Siculum formas quales sunt Κίκονες etc. (cfr. Pape, lex. nom. propr. s. v.) Simili modo ex usu poetarum in pedestrium scriptorum sermonem translatam Herodianum putavisse sumendum est vocem Ἀσπληδόνα, quam poetice affectam dicit II, 168, 11, etsi non solum apud Homerum, sed etiam apud Strabonem 9, 415 invenitur, porro vocem Πουλυδάμα, qua praeter Homerum usus est Xenophon, deinde formam Θέσπειαν, quae etiam apud Strabonem, Dionys. Halic., Polyaenum etc. occurrit (cfr. Pape l. c. s. v. Θέσπεια), deinde formam ῥιπτῶ, quam apud Herodotum, Xenophontem, Polybium, Platonem, Lucianum inventam ποιητικὴν ἢ Ἀττικὴν dicit Herodianus. Idem autem valet de formis augmento privatis, de vocibus pleonasmo litterarum ι et υ auctis, quales sunt κεινός, Οὔλυμπος, quas omnes poeticas appellari supra vidimus; nam similes formae apud Herodotum, Hecatacum aliosque Ionicae dialecti pedestres scriptores haud raro occurebant. Gravissimus denique est locus prosodiae catholicae, qui est I, 425, 34, ubi poeticam generum permutationem perpessae esse dicuntur voces πόρνος (pro πόρνη), πέτρος (pro πέτρα), χῶρος (pro χώρα), βάκχος (pro βάκχη), ὄχθος (pro ὄχθη), χῆρος (pro χήρα), κοῦρος (pro κούρη), παιδίσκος (pro παιδίσκη); quae voces omnes excepta voces χῆρος in plurimorum pedestrium scriptorum usu reperiuntur, nimirum πόρνος apud Xen. Mem. 1, 6, 13 alios, πέτρος apud Plat. Leg. VIII, 843 A, Xenoph., alios, χῶρος apud Herodot. 1, 160. 9, 15, Polybium, apud eosdem ὄχθος, παιδίσκος apud Xenoph. Hellen. 5, 4, 32, Polyb. alios, βάκχος apud Plat. Phaed. 69 C. κοῦρος sive κόρος apud Plat. Leg. VI, 761 E.[1]

Cum eo autem, quod ex his locis satis multis sequitur, nimirum Herodianum poeticas atque metri causa inventas dixisse etiam formas a pedestribus scriptoribus nonnunquam usurpatas

[1] Plurimi eiusdem generis loci inveniuntur apud posteriores scriptores, ex quibus nunc unum adferam Eustathii locum, quem haud scio an ad ipsum redeat Herodianum, cum simillimus sit loci de voce Κίκονες supra allati; est enim hic (p. 1018, 55) κεδῶ· πρότερον· σκεδῶ κατὰ χρεῖάν τινα μέτρου ἐκφερόμενον ὕστερον κεκοίνωται. Hic igitur σκεδῶ, quod apud plurimos scriptores pedestres hodie invenitur, primum metri causa a poeta quodam formatum, deinde in communem usum abiisse dicitur.

pugnare videtur locus qui est II, 94, 25, quem totum apponam necesse est. ἔπειτα πολλά ἐστιν διχῶς κεκλιμένα· τὸ γοῦν Μύνης ὁ ποιητὴς περιττοσυλλάβως ἔκλινεν . . . ὁ δὲ Σοφοκλῆς ἰσοσυλλάβως, . . . μύκητά τε καὶ μύκην, εἰ καὶ πολλὰ σημαίνει ἡ λέξις. καὶ ὅτι οὐ τὸ μέτρον αἴτιον, δῆλόν ἐστιν Ἑκαταῖος οὕτως κλίνας «καὶ ἐπαφήσας τὸν κολεὸν τοῦ ξίφεος τὸν μύκην εὗρεν ἐκπεπτωκότα.» ὁ δὲ Ἄρατος περιττοσυλλάβως ἔκλινεν: «ἢ λύχνοιο μύκητες ἐγείροντο περὶ μύξαν.» καὶ μήποτε ταῦτα συναγωνίζεται τῷ Ἀριστάρχῳ· καὶ γὰρ ταῦτα διχῶς κλιθέντα οὐ μετέβαλε τὸν τόνον, οἷς ὅμοιον δύναται εἶναι καὶ τό Μέγης. Hic enim formam μύκην propterea quia etiam in prosa oratione apud Hecataeum invenitur, metri causa inventam esse negatur; itaque hinc nonne sequitur quae in prosa usquam exstabant oratione, ab Herodiano nunquam poetica esse dicta? Facillima autem huius difficultatis tollendae via ea esse videtur, ut verba illa καὶ ὅτι οὐ τὸ μέτρον . . . περὶ μύξαν, non ab Herodiano, sed ab alio quodam profecta esse contendamus; quod si quis sumpserit, etiam hoc argumento poterit uti quod Choeroboscus simili loco qui est apud Herod. II, 679, 21 haec ipsa verba omittit ceteris partim iisdem verbis partim accuratius relatis. Sed cum vix idonea inveniri causa possit cur quis loco illo Iliacae prosodiae verba illa addiderit, num quo modo possint ferri excusarique, quaerendum mihi videtur. Atque primum quidem consideremus, cur omnino Herodianus illud μύκην poeticum haberi noluerit. Toto igitur hoc loco agitur de accentu vocum in ης exeuntium quae duplici declinatione utuntur, quas barytonas esse, si in ητος, perispomenas, si in ου genetivum formarent, plures grammatici veluti Ptolemaeus contenderant. Contra Herodianus saepe eundem has voces habere accentum contendit sive in ητος sive in ου flecterentur veluti Μύνης, etsi apud Homerum Μύνητος, apud Sophoclem Μύνου flecteretur, tamen semper Μύνης, nunquam Μυνῆς pronuntiaretur. Hoc autem exemplum ut removerent, qui aliter de hac re sentiebant atque Herodianus, sumere fortasse poterant illud Μύνης non esse vocem dupliciter flexam, sed Μύνου ex Μύνητος factum esse poetico metaplasmo ut ἄστρασι ex ἄστροις, ἔγκασι ex ἐγκάτοις. Formae enim poeticum metaplasmum passae secundum veterum grammaticorum doctrinam eundem debebant retinere accentum, quem primitivae habebant formae. Quam ad sententiam impug-

nandam addidisse videtur Herodianus non solum vocem Μύνης quae apud solos poetas reperitur, quamquam flexionem mutat, accentum non mutare, sed idem valere de voce μύκης in prosa quoque oratione inventa. Nam etsi formas, quas poeticis passionibus affectas esse aliis ex rebus coguoscebatur, nonnunquam poeticas dixit Herodianus, licet in prosa quoque oratione invenirentur, tamen si de forma quadam dubitabatur, utrum poeticum esset necne, grammaticis eam poeticam esse aliis contendentibus aliis negantibus, facile intellegitur ad diiudicandam hanc quaestionem id ipsum, quod in prosa quoque oratione haec forma exstabat, nonnihil valuisse. Quare ut hunc locum cum iis, quos supra attulimus, conciliemus, sumendum mihi videtur maxime ea poetica habuisse Herodianum, quae apud solos poetas reperiebantur, sed si propter alias res formam quandam passione poetica affectam esse verisimile erat, quin poeticam hanc quoque diceret, minime eo impeditum esse quod apud pedestres quoque scriptores haec vox nonnunquam adhibebatur, immo tum eum hanc formam primum a poetis inventam, postea in pedestrium sermonem translatam esse sumpsisse.

Atque hanc re vera Herodiani normam atque rationem fuisse optime confirmatur singularum formarum quas poeticas dici ab Herodiano supra vidimus, usu examinato.

Primum enim ex formis poeticis permultae eae sunt quae apud *solos epicos poetas* inveniantur. Sic enim θεὺς poeticum vocatur quo unus Callimachus usus est; sic καρὸς pro κηρὸς uno Homeri loco inventum, sic δεύρω pro δεῦρο, quod semel apud Homorum inveniri dicit Horodianus I, 507, 13, sic ἱερὸς pro ἱερὸς apud Homerum aliosque epicos poetas nonnunquam dictum, sic Μᾶσης pro Μάσης apud Homerum inventum, τυφεδῶνος pro τυφεδόνος in Callimachi versu hexametrico repertum, sic Homericae formae μήστωρος pro μήστορος, ἐάσουσι pro ἐᾶσουσι, δίδωθι pro δίδοθι, sic ἄδδην ἔδδεισεν, quibus praeter Homerum alii nonnulli epici poetae sunt usi, sic Τύμωλος pro Τμῶλος nunc quidem semel in Anthol. Palat. repertum, sic denique formae ἀκράαντος, γεμέωσι, πετεηνός, εἶο, σεῖο ἐμεῖο, ὑπεμνήμυκε, ὑπερώϊον, φύγα pro φύγην, νεφεληγερέτα, ἱππότα, ἡ ῥαιστήρ, Τροίζηνος, βριήπυες, αἱ Κρῆται solorum epicorum poetarum propriae.

Sed non solum quae apud solos epicos poetas inveniebantur,

verum etiam quae saepissime apud eos exstabant, pro poeticis habentur ab Herodiano. Hoc enim valet de plurimis vocalium correptionibus, etsi ab aliis quoque poetis praeter epicos atque adeo nonnunquam a pedestribus scriptoribus, ut in Κίκονες etc. admittebantur, tamen propter talium exemplorum apud epicos poetas copiam fere omnes ab epicis poetis inventae esse videbantur atque propterea poeticae dicebantur; hoc valet de futuris pro praesenti adhibitis, cuius rei exempla ipse Herodianus plurima ex Homero petita adscripsit, hoc de numerorum permutatione ut apparet ex II, 34, 27, ubi forma Θέσπειαν pro Θεσπείας etiam in pedestri sermone nonnunquam inventa poetica dicitur quia eadem passio saepissime nobis obviam fit in formis solius Homeri propriis; hoc valet de consonantium pleonasmo, qualis exstat in πτόλις, πτολίζω, hoc de vocalium pleonasmo, qualis cernitur in Ἀσπληδών, hoc denique valet de generum permutatione, quae cum saepissime, ut apparet ex I, 48, 4, II, 747, 27, II, 1249 (ad. II, 227, 14), deprehendatur in vocibus solorum epicorum poetarum, maxime Homeri propriis, poetica, ut supra vidimus (cfr. p. 75), appellatur etiam in vocibus nonnullis ne a pedestribus quidem scriptoribus alienis.

Pluribus autem exponamus necesse est, cur augmenti omissionem et pleonasmum litterarum ῐ et ῠ in vocibus quales sunt κεινός, Οὔλυμπος poetica appellaverit Herodianus, etsi formae talia passae etiam apud pedestres scriptores inveniebantur. Nam ut ab augmenti omissione incipiamus, formas augmento privatas nonnunquam adhibuisse pedestres quoque Ionicae dialecti scriptores veluti Herodotum, Hecataeum satis constat. Itaque Ionicam hanc passionem Herodianum debuisse dicere facile quis crediderit; sed cur hoc non fecerit nec facile facere potuerit, idonea inveniri causa potest. Primum enim apud Herodotum aliosque Ionicae dialecti pedestres scriptores multo pauciores formae augmento destitutae inveniuntur quam apud epicos poetas veluti Herodotus augmentum syllabicum nunquam fere omisit, nisi in formis imperfecti iterativi, temporale autem augmentum longe pluribus locis retinuit quam neglexit. Deinde hac omittendi augmenti licentia ex Ionibus scriptoribus ei tantum usi sunt quos recentioris Ionicae dialecti ab Herodiano haberi infra docebimus; nunquam aut rarissime ea usi sunt antiquiores

Ionicae dialecti scriptores veluti Archilochus, Simonides iambographi. Nunquam enim eos tales formas adhibuisse diserte testatur Choeroboscus apud Herodianum II, 497, 14 sq.; et si horum poetarum reliquias perlustramus, invenimus permultas formas augmento praeditas, perpaucas eo privatas, nimirum duo apud Archilochum λίπε frg. 6, 2, κάλλιπε frg. 114, unam apud Simonidem ποτήσαντο frg. 7, 45. Itaque si dialecto cuidam augmenti omissionem propriam dicere voluisset Herodianus, eum non universae Ionicae dialecto, sed recentiori soli Iadi eam tribuere debuisse apparet. Cum autem quae recentioris Ionicae dialecti propria erant, Homerum nusquam usum esse Herodianus, ut supra demonstravimus, statuerit, apud Homerum autem formae augmento destitutae plurimae invenirentur, iam nihil supererat, nisi ut Herodianus augmenti omissionem omnino non dialecticam, sed poeticam diceret.

Paulo aliter res se habet in formis pleonasmum vocalium ῐ et ῠ perpessis veluti κεινός, Οὔλυμπος etc. Nam cum hae formae non solum a posterioris Iadis scriptoribus sint adhibitae, sed etiam ab Archilocho et Simonide, propter usum hunc pleonasmum antiquiori quoque Iadi tribuere licebat saltem Herodiano. Attamen si Buttmanni gramm. Gr. p. 97 (§ 27 adn. 3) sequimur, hae quoque formae plures in epicorum usu obviae fiunt quam apud Ionicos scriptores qui nunquam usi sunt Homericis formis ὑπείρ, θεμείλιος, πεῖρας, πουλύς, οὐλόμενος etc. Porro ut poeticas has formas Herodianus diceret, non Ionicas, imprimis mihi ductus esse videtur ipsius passionis natura, nimirum quod harum vocalium pleonasmus non factus est nisi in syllabis nec natura nec positione longis; hinc enim propter eam solam causam, ut longa fieret syllaba, i. e. propter metrum hunc pleonasmum factum esse facile quis suspicari poterat. Denique ne hoc quidem negligendum est, quod apud antiquiores Iones veluti Archilochum, Simonidem etiam primitivae nonnunquam reperiuntur formae, veluti Archilochus dixit δορί frg. 2, Ἐνυάλιος frg. 1, 1, Ὀλυμπίων frg. 74, 2, ὄρος frg. 74, 9, κόρη frg. 120 et Simonides νόσοι frg. 1, 1. Ὀλύμπιοι frg. 7, 21. Quare ne hoc quidem temere fecisse videtur Herodianus, quod poeticas tales formas dicere maluit quam Ionicas.

At apud Herodianum qualis a Lentzio restitutus est, hae

passiones cum plurimis locis poeticae dicantur, paucis Ionibus tribuuntur. Augmenti enim omissio Ionica dicitur II, 28, 1 μῆρ' ἐκάη· Πτολεμαῖος τὸ ε̄ τελευταῖον λαμβάνει τοῦ μῆρε, ἵνα ἰακώτερον ἐκδέξηται τὸ κάη.

II, 34, 12: μῆρ' ἐκάη· Πτολεμαῖος ἀπὸ τοῦ κ̄ τὴν ἀρχὴν ποιεῖ ἵνα, φησίν, ἰακώτερον γένηται.

II, 122, 38: φάμεν· παρατακτικὸς ἀντὶ τοῦ ἔφαμεν· Ἰωνικῶς οὖν ἀναγνωστέον τὴν πρώτην συλλαβὴν ὀξυτόνως.

II, 147, 1: τὸ γὰρ φῄς, ὅτι σὺν τῷ ῑ γράφεται, ἐνεστῶτός ἐστιν καὶ ὀξύνεται· ὅτε δὲ ἄνευ τοῦ ῑ, παρατατικός ἐστιν ἰακῶς καὶ περισπᾶται.

Denique in appendice ad Lentzii Herodianum II p. 1251, 2 leguntur haec: βάν· Ὅμηρος βὰν δ' ἴμεν· ἐκ τοῦ βῶ... παράγωγον βῆμι, ὁ παρατατικὸς βῆν· οἱ γὰρ Ἴωνες συναρχομένους ποιοῦσι τοὺς παρῳχημένους τοῖς ἐνεστῶσι· βάσαν καὶ συγκοπῇ βάν· οὕτως Ἡρωδιανὸς περὶ παθῶν.

Deinde pleonasmus vocalis ῑ dicitur Ionicus II, 507, 2: ἐνεῖκαι τὸ ἐνέγκαι· ἔστι γὰρ Ἰωνικόν· παρὰ τὸ ἐνέκω ἐνέξω πλεονασμῷ τοῦ ῑ ἐνείκω ἤνεικα et

II, 502, 7: εἰρύσεσθαι τὸ φυλάξαι μέσος ἀόριστος α' παθητικὸς ἀπὸ τοῦ θέματος τοῦ ἐρύω ἐρύσασθαι καὶ Ἰωνικῷ πλεονασμῷ.

Vocalis ῡ pleonasmus apud Herodianum nusquam Ionicus appellatur.

Quomodo de his locis iudicabimus? Putabimusne Herodianum cum dubitaret utrum Ionicas an poeticas has formas diceret, aliis locis poeticas, aliis Ionicas eas apellasse? Sed quamquam, ut infra (cfr. p. 83 sq.) apparebit, fuerunt formae, in quibus talis Herodiani dubitatio fieret, tamen in his formis hoc non sumendum esse propterea puto, quio nullo ex locis supra allatis talis forma appellatur Ἰωνικὴ ἢ ποιητική, sed ubique aut Ἰωνικὴ aut ποιητική. Neque vero alia eaque multo probabilior huius rei explicandae via deest. Etenim iam supra significavimus non omnes grammaticos eodem modo de Homeri dialecto iudicasse quo Herodianum; immo ab Herodiano recedentes alios ipsius Ionicae dialecti testes Homerum ceterosque epicos poetas habuisse, alios saltem omnibus dialectis Homero uti licuisse sumpsisse ne recentioribus quidem exceptis. Quod qui sumpserunt, cur non Ionicam putarent augmenti omissionem et

pleonasmum vocalium ῐ et ῠ, causa nulla erat. Et fecit hoc e. g. Gregorius Corinthius in libro περὶ Ἰάδος, qui et ipse ubique Homerum pro Ionicae dialecti auctore habet, idem factum est nonnullis Et. M. locis, deinde anecdotorum locis quibusdam veluti An. Par. III, 329, 28 εὔκηλος· ψιλοῦται διὰ τὴν Αἰολικὴν ἢ καὶ Ἰωνικὴν ἐπένθεσιν τοῦ ῠ κατὰ τὸ ὄρος οὖρος, deinde in scholiis ad Apoll. Rhod. p. 329, 19 ἄκουσα Ἰωνικῶς et ibid. 414, 19: τὸ δὲ σκιόειν ἀντὶ τοῦ σκιόεν κατὰ Ἰωνικὴν ἐπένθεσιν τοῦ ῐ et apud Eusthat. veluti p. 23, 28 et p. 1896, 5; hoc denique ipse Apollonius fecisse videtur ut apparet ex locis quales sunt περὶ ἀντωνυμ. p. 3 A: Εὔξεινος Ἰακῶς τὸ ῐ ἐπλεόνασεν et p. 149, 21 (Uhl.) νοῦσος παρ' Ἴωσι et p. 18, 22 (Uhl.), ubi de forma πόρε mere epica agitur, πόρε Ἰακῶς κεκλιμένου τοῦ ῥήματος· Itaque cum plures grammatici fuerint, qui tales formas non poeticas dicerent, sed Ionicas, eos omnes locos apud Herodianum inventos, quibus Ionicae hae passiones dicuntur, uni ex his grammaticis, non Herodiano tribuendos censeo. Atque in plurimis quin hoc sumamus, nihil saltem obstat, cum sine auctoris nomine sint traditi veluti II, 122, 38. II, 147, 1. II, 507, 2. II, 503, 7; adeo locum qui est II, 28, 1 (et II, 34, 12) non ab ipso, sed a Ptolemaeo profectum esse ipse testatur Herodianus, cum II, 34, 12 diserte dicat Πτολεμαῖος ἀπὸ τοῦ κ ποιεῖ τὴν ἀρχήν, ἵνα, φησίν, ἰακώτερον γένηται, unde apparet Ptolemaeum in eorum grammaticorum numero esse habendum, qui Ionicam putabant augmenti omissionem. Porro locus qui est II, 507, 2, qui est de voce ἐνεῖκαι etiam aliam propter rem suspectus est; nam alio loco Herodianus formam ἐνείκω non Ionicam, sed Boeoticam dicit, nimirum II, 445, 7 προύνεικος... παρὰ τὴν πρὸ πρόθεσιν καὶ τὸ ἐνείκω γέγονε Βοιωτικόν. Difficultatem quandam praebere unus videtur locus qui est apud Herod. II, 1251, 2 qui cum doceat *Iones* augmentum omittere solitos esse, suscriptionem habet: Ἡρωδιανὸς περὶ παθῶν. Sed hic quoque omnia recte se habent, si verba οἱ γὰρ Ἴωνες... ἐνεστῶσι delemus ut ab epitomatore tamquam doctrinae ostentandae causa addita.

Ut hos locos Herodiano abrogandos censeo, quia augmenti omissio et vocalium et ῠ pleonasmus Ionicus dicitur, sic alios nonnullos a Lentzio omissos ei tribuendos puto, quibus hae passiones poeticae vocantur veluti Et. Gud. p. 414, 27 ξεῖνος

καὶ ξεινοῦσθαι ποιητικῶς· Αἰολικῶς δὲ ξέννος et Anecd. Paris. III, 125, 26: οὐδὲ τὸ αὐτὰρ πάλιν κατὰ πλεονασμὸν τοῦ ῡ ἐκ τοῦ ἀτάρ· ἐπὶ γὰρ τῶν καθαρευόντων τοῦτο ποιοῦσιν οἷον Ἄρεος Ἄρευος ἢ ἐχόντων τὸ ρ̄· φαμὲν οὖν ποιητικὸν εἶναι τὸν πλεονασμὸν τοῦ ῡ ἐν τῷ αὐτάρ.

Itaque cum grammatici alii poeticas has formas appellarent veluti Herodianus, alii Ionicas veluti Apollonius, iam mirum minime est, quod Choeroboscus, qui est Apollonium et Herodianum exscripsit, utraque sententia recepta et, ut solet, male coniuncta de omissione augmenti haec protulit, quae Lentzius recepit in Herodianum II, 788, 6: ταῦτα παρὰ ποιηταῖς ἀναύξητα ἤτοι ἄτρεπτα ἔμεινε διὰ τὸ μέτρον ἔθει Ἰωνικῷ ἄκουεν ἀντὶ ἤκουεν, ἔλαυνεν ἀντὶ τοῦ ἤλαυνεν, ubi ut veram Herodiani doctrinam restituamus, delenda sunt verba ἔθει Ἰωνικῷ. Atque eodem Choerobosco sine dubio tribuendum est, quod loco iam saepius commemorato quem Lentzius in adnot. ad Herod. II, 792, 12 posuit, formae augmento privatae appellantur Ἰωνικαὶ ποιητικαί, quod ab Herodiani doctrina abhorrere iam supra vidimus.

Quod de augmenti omissione et de pleonasmo vocalium ῑ et ῡ valet, hoc multo magis etiam valet de pleonasmo vocalis ε̄, quem et debuit Herodianus poeticum appellare, quia proprius est poetarum epicorum, et sic appellavit e. g. II, 226, 12 in voce πετεηνός et II, 230, 4 in voce γεμέωσι et II, 788, 27 in vocibus ξυνέηκε, ἔειπε. Quare si II, 227, 14 haec legimus: δειελός· Ἰλιάδος Φ 232: «εἴσοκεν ἦλθε δειελὸς ὄψε δύων» ἡ δείλη δείελος εἴρηται... σύνηθες γὰρ τοῖς Ἴωσι τὸ ε̄ πλεονάζειν ἥλιος ἠέλιος, δειλινὸν δειελινόν, cum ipsi Iones neque δειελὸν dixerint neque ἠέλιος, sed apud solos epicos poetas hae voces inveniantur, non Herodiano hunc locum tribuendum esse apparet, sed uni ex iis grammaticis, qui Ionicae dialecti certos testes epicos poetas rati quaecunque apud eos inveniebantur, Ionica dicebant.

Adhuc igitur ab Herodiano in numero poeticarum vocum eas praesertim formas haberi vidimus, quae apud solos epicos poetas aut maxime saepissimeque apud hos in usu reperiebantur; sed praeterea etiam formas ceterorum poetarum sive iambicorum sive lyricorum proprias, etsi multo pauciores, tamen nonnullas appellavit poeticas. Neque hoc mirum est;

nam per se quidem formas metri causa immutare, i. e. poeticas invenire voces non minus certe his poetis licebat quam epicis; sed cum horum poetarum unumquemque patriae dialecti certum testem, ut supra vidimus, putaret Herodianus, si quae propria erant poetis iambicis melicisque, haec longe maximam partem patriae eorum dialecto tribuere maluit quam poetica appellare; contra quae exstabant apud epicos poetas, qui nullius dialecti certi testes ab Herodiano ducebantur, minime propter id ipsum, quia apud epicum quendam poetam inveniebantur, dialecto alicui poterant adscribi, immo aut ex ceterorum scriptorum comparatione dialectica esse debebant demonstrari aut poetica appellari. Itaque cum ex vocibus epicorum poetarum propriis permultae poeticae appellarentur, formas ceterorum poetarum proprias tum tantum poeticas dixisse videtur Herodianus, si formae idem vel simile quid passae apud solos epicos poetas plures inveniebantur veluti formam Αἶα apud Alcaeum pro Αἴαντος (II, 649, 30), cui simillima est forma Θόα pro Θόαντος apud Herodotum inventa, quam eodem loco affert ipse Herodianus, et formam ῥεραπισμένα apud Anacreontem pro ἐῤῥαπισμένῳ et formam ῥερῖφθαι apud Pindarum pro ἐῤῥῖφθαι, cum quibus apte comparari potest forma ῥερυπωμένα pro ἐῤῥυπωμένα Homeri propria, ut docet Herodianus II, 789, 44, porro formas πῦϊρ apud Simonidem (II, 312, 22), Τελεμησσός pro Τελμησσός apud Aristophanem (II, 227, 26), Ἀχερόντιος pro Ἀχερόντειος (II, 480, 25) ὄκκα pro ὄκα apud Alcmanem (II, 302, 2), quae omnes formae passionibus sunt affectae Homero familiarissimis.

Apparet igitur fuisse quasdam normas, ex quibus formas passionibus affectas alias dialecticas alias poeticas esse cognoscebat Herodianus, nimirum et ipsam passionum naturam et usus observationem; tamen non adeo certae erant, ut non dubitatio nonnunquam fieri posset, utrum poetis an dialectis forma quaedam esset tribuenda. Quod factum est in his vocibus:

II, 354, 10: τιθήμενος ἤτοι ποιητικῶς ἔκτασις ἤτοι διαλέκτῳ ἀναπέμπεται·

II, 159, 18: ἐγών· Δωριέων διάλεκτός ἐστιν· προσλαμβάνει τὸ ν̄· ἢ καὶ ὁ ποιητὴς ἐκκλίνων τὴν χασμωδίαν τῶν φωνηέντων εἶπε τὸ ἐγὼν μέτα τοῦ ν̄.

I, 433, 19: ῥιπτῶ Ἀττικὸν ἢ ποιητικόν.

II, 304, 6: ἔσσεται· διὰ δύο σσ ποιητικῶς [ἢ Σικελικῶς]· οἱ γὰρ Σικελοὶ τὰ ἐπὶ μελλόντων ῥήματα προηγουμένων βραχέων φωνηέντων διπλασιάζουσι τὸ σ.

II, 361, 7: συνοχωκότε· ἔστι μετοχὴ πρώτης συζυγίας τῶν περισπωμένων ἐκ τοῦ συνέχω σύνοχος συνοχῶ· ὁ μέλλων συνοχήσω, ὁ παρακείμενος συνώχηκα καὶ... συνώχωκα καὶ συστολῇ Ἰωνικῇ ἢ ποιητικῇ συνοχωκότε.

Quibus de locis duplici modo possumus iudicare: aut enim sumere licet Herodianum ipsum dubitasse, utrum poetica an dialectica vox quaedam esset dicenda, aut diversorum grammaticorum sententiam aliorum poeticam aliorum dialecticam formam aliquam dicentium esse consociatas. Neque enim quin posterius sumamus, minime id obstat quod his ipsis locis diversorum grammaticorum opiniones proferri minime diserte affirmatur, immo omnibus tamquam unius grammatici duplex sententia referri videtur; nam excerptorum negligentia facile fieri potuisse ut ipsorum grammaticorum nomina exciderent, nemo, qui quidem qualis excerptorum opera fuerit, novit, erit, qui neget. Et re vera tale quid sumendum esse loco de voce ἔσσεται iam supra vidimus ubi Horodianum in universum Siculae dialecti formas ab Homero alienas putavisse docuimus. Neque aliter iudicandum est de loco, qui est de voce συνοχωκότε, qua in voce reduplicationis omissio Ionica aut poetica appellatur; nam ipsum Herodianum poeticam tantum huius vocis passionem putavisse mihi quidem persuasum est. Etenim qui augmenti omissionem etsi apud pedestres quoque Ionicos scriptores inveniebatur, tamen semper poeticam dixit, hunc reduplicationis omissionem, quae ne semel quidem apud scriptorem vere Ionicum occurrit, pro Ionica habuisse veri dissimillimum est; immo illud Ἰωνικῇ ab eo, fortasse epitomatore, profectum est, qui aut omnes Homericas formas simul Ionicas putaret (veluti Gregorius Corinthius) aut propter augmenti omissionem apud Iones repertum etiam reduplicationis omissae passionem in voce συνοχωκότε Ionibus tribui posse censeret.

Neque vero solum in his duabus vocibus, sed in aliis quoque permultis similem grammaticorum dissensum fuisse ex ceterorum grammaticorum scriptorum comparatione cernitur; quibus perlustratis apparet, quae ab Herodiano poetica dicuntur, haec

fere omnia ab hoc illove grammatico dialectis tribui. Nam ut praetermittam augmenti omissionem et pleonasmum litterarum ῑ, ῡ, ε̄, quem Ionicum a multis habitum esse iam supra (cfr. p. 79 sq.) ostendimus, praeterea ex formis quas poeticas dicit Herodianus, Ionicae dicuntur pluralis pro singulari usus, generum permutatio dativorumque in ει exeuntium (veluti ἔγχει) diaeresis a Gregorio Corinthio p. 424: αἱ παραλήψεις τῶν ἀρσενικῶν ἀντὶ θηλυκῶν Ἰώνων εἰσίν... αἱ δὲ διαιρέσεις τῶν εἰς ει ληγόντων δοτικῶν ἑνικῶν Ἰώνων εἰσὶν βέλεϊ ἀντὶ βέλει. Ab eodem Ionibus tribuuntur cunctae vocalium correptiones p. 461: πάλιν ἡ μὲν συστολὴ τῶν Ἰώνων ἐστίν, porro in schol. ad Apoll. Rhod. p. 311, 9 Ionicae appellantur αἱ εὐθεῖαι ἀπὸ γενικῶν: φύλακος· οἱ Ἴωνες εὐθείας ἐκ γενικῶν ποιοῦσι· τοῦ μάρτυρος ὁ μάρτυρος, deinde Ionicae dialecto adscribuntur αἱ τμήσεις in Et. Gud. p. 678: αἱ τμήσεις τῶν Ἰώνων ἴδιαι οἷον Πέλοπος νῆσος, denique vocem θεὺς quam Herodianus poeticam dicit II, 911, 2, Choeroboscus p. 421, 27 κατὰ κρᾶσιν Δωρικὴν ἢ Ἰωνικὴν factam esse contendit. Porro Atticae dicuntur a Gregorio Corinthio p. 461 vocalium productiones ἡ δὲ ἔκτασις Ἀττικῶν ἐστιν, τρέπουσι τὰ βραχέα εἰς μακρά et ab Choerobosco formae Λαοδάμα et Πουλύδαμα, quas Herodianus poeticas vocat II, 659, 13. Deinde Aeolicae appellantur ἔδδεισεν apud Greg. Cor. p. 680 et apud Tzetz. exeg. Il. 87, 14, θέμιστος in scholiis ad Odyss. β 68, ἵπποτα etc. apud Eust. 75, 30, omnes συγκοπαὶ a Greg. Cor. p. 578: αἱ κατὰ τὸ μέσον γινόμεναι συγκοπαὶ Αἰολέων εἰσὶν ἴδιαι. Denique Siculas a nonnullis putari formas κεκλήγοντες etc. ab Herodiano poeticas dictas iam supra vidimus. Quae cum ita sint, nisi vehementer fallor, Herodianus is putandus est grammaticus, qui inter omnes grammaticos plurimas agnoverit poeticas formas.

Ut autem nonnullas voces grammatici inter se dissentienties alii poeticas, alii dialecticas appellabant, sic propter varias res fieri peterat, ut ipse Herodianus de origine alicuius formae dubius poeticam aut dialecticam eam appellaret; cuius rei testimonia superesse puto locos snpra allatos de vocibus τιθήμενος, ἐγὼν, ῥιπτῶ. Nam ut a voce ῥιπτῶ incipiamus, ut Atticam eam putaret, facile eo adduci poterat Herodianus, quod praeter Herodotum maxime ab Atticae dialecti auctoribus et pedestribus et poeticis usurpatur; contra poeticam propterea aliquis eam

putaverit, quia similis verborum barytonorum in perispomena permutatio in aliis vocibus poetarum imprimis erat propria, ut apparet ex Etym. Gud. p. 489, 4: τὰ ἀπὸ βαρυτόνων ποιητικῷ ἔθει μεταγόμενα εἰς περισπώμενα διὰ τοῦ ω̅ γράφεται οἷον νέμω νωμῶ, στρέφω στρωφῶ, πέλω πωλῶ πλὴν τοῦ πέτω ποτῶ. Similiter res se habet in voce ἐγών: quae cum maxime in usu Doriensium scriptorum esset, tamen quia primum ab Homero adhibebatur idque non semper, sed tum tantum, si insequens syllaba a vocali incipiebat, ab ipso poeta hiatus evitandi causa inventa facile sumi et idcirco poterat poetica appellari. Deinde in Homerica forma τιθήμενος ex τιθέμενος facta solito poetarum more ε̅ in η̅ poetice productum esse, unicuique statim in mentem venire debebat; sed addidit Herodianus ἡ διαλέκτῳ ἀναπέμπεται Aeolicam scilicet dialectum significans quia similia participia in η̅μ̅ε̅ν̅ο̅ς̅ veluti ἀκαχήμενος, ἀήμενος, ποιήμενος plurima apud solos Aeolenses reperiebantur (cfr. II, 142, 3), qui num et ipsi τιθήμενος pro τιθέμενος dixerint, nescimus.

Denique haud scio an huc pertineat locus qui est II, 370, 5 Τροία ἀπὸ Τρωὸς κατὰ Βοιωτοὺς ἢ μᾶλλον ὡς Βοιωτιακὸν ὡς Ἡρωδιανός, quo de loco variae a viris doctis prolatae sunt sententiae. Meinekius enim in editione Stephani Byzantii p. 683, 13, unde hic locus est depromptus, haec adnotat: «Troiae nomen a Τρὼς revocatum proprie esse debebat Τρωία. Boeoticum autem est ο̅ι̅ dicere pro ῳ, ut in γελοῖος γελῷος, αἰδοῖος aliisque; hinc est quod Τροία Boeoticum ὄνομα dicitur etiam ab Etym. M. p. 770, 14; Herodiano contra Τροία Ionicum fuisse videtur: ἢ μᾶλλον ὡς κλοιὸς Ἰακόν; ita enim fere corruptissima verba ὡς Βοιωτιακὸν, quae V omittit, corrigenda videntur, quamquam pro κλοιὸς, quod Attici et Dorienses κλῳός dicebant, fortasse aliud nomen posuerat Herodianus.» Quam Meinekii coniecturam veram non esse iam Lentzius in adnot. ad Herod. I, 302, 2 contendit, cui ego assentior hoc addito certe illud κλοιὸς, quod Meinekius dubitanter proposuit, ab Herodiano poni non potuisse; nam ut I, 112, 4 docet, Herodianus κλοιὸς non a κλῳὸς derivabat ut Τροία a Τρῴα, sed e contrario κλῳὸς a κλοιός. Sed ne ea quidem quae Lentzius ad hunc locum explicandum attulit, omni ex parte vera esse possunt. Dicit enim in adn. ad I, 302, 2: «verba mihi sana esse videntur atque ὡς Βοιωτιακὸν ipse Hero-

dianus pronuntiasse videtur, ut dictionem κατὰ Βοιωτοὺς non omnino rectam corrigeret. Sic enim eum docuisse opinor: mutatio diphthongi ωϊ in οι non proprie Boeotica est, sed quasi vel pseudoboeotica. Atque haec sententia etiam ex Etym. M. verbis, quae in textu adieci, elucet: ἐκ τοῦ Τρωΐα Τροία ὡς Ἀχελώϊος Ἀχελοῖος.» Sed in hac Lentzii explicatione me offendit, quod illud Τροία propterea ab Herodiano pseudoboeoticum appellatum esse contendit, quia haec forma non ex Τρῴα, ut γελοῖος e γελῷος, sed ex Τρωΐα nata esset. Neque enim Herodianus solius diphthongi ῳ in οι permutationem Boeoticam putavit, sed etiam dissolutorum ωϊ in οι mutationem vere Boeoticam esse diserte dicit I, 137, 19 οἱ γὰρ Βοιωτοὶ τὸ ω καὶ ι εἰς τὴν οι δίφθογγον τρέπουσι τὸ πατρώϊος πατροῖος καὶ τὸ γελώιος γελοῖος λέγοντες.

Attamen ne ipse quidem nego causam, cur non vere Boeoticam, sed pseudoboeticam hanc vocem diceret Herodianus, re vera fuisse; quamquam aliam eam puto esse atque Lentzius. Nam vox Τροία a vocibus Boeoticis γελοῖος etc. eo differebat, quod in Τροία diphthongus οι nonnunquam dissolvebatur, veluti Homerum nonnunquam Τροΐην dixisse testatur Herodianus II, 25, 36; contra γελῶος nusquam inveniebatur. Quare apparet simile quid inter Τροία et γελοῖος interesse atque inter Μοῖσα et σύνοιδα interesse docet technicus in Epim. frg. 2 (apud Lentz. I, XVIII), ubi pro σύνοιδα nonnunquam συνοΐδα, contra pro Μοῖσα nunquam Μόϊσα adhiberi dicit. Ut igitur propter hanc rem Herodianus σύνοιδα non vere Aeolicum habuit, sed pseudoaeolicum, sic propter similem causam Τροία non proprie Boeoticum, sed pseudoboeoticum appellari per se nihil mirandum erat, dummodo illud ὡς Βοιωτιακὸν idem significare posse quod pseudoboeotiacum mihi persuadere possem.

Sed praeterquam quod talis particulae ὡς usus nullum aliud apud Herodianum inveniri potest exemplum, accedit etiam aliud, cur non pseudoboeoticam vocem Τροία ab Herodiano appellatam putem. Nam in Etym. M. p. 770, 14 sq. haec de vocis Τροία formatione traduntur: ἔστιν οὖν Τροία ἡ πόλις Βοιώτιον ὄνομα. . . Τρώϊος Τρωΐα καὶ συστολῇ ποιητικῇ καὶ συναιρέσει Τροία ἢ ἐκ τοῦ Τρωΐη Τροΐα ὡς Ἀχελώϊος Ἀχελοῖος. Hic igitur Τροία primum Boeoticum nomen appellatur, deinde ad primigenam formam Τροία aut per correptionem poeticam revocatur

aut ut Ἀχελοῖος ad Ἀχελώϊος. Cum autem illud Ἀχελοῖος pro Ἀχελώϊος Boeoticum sit, apparet hic aut Boeoticam aut poeticam appellari vocem Τροία. Nec non poetica dicitur haec vox loco quodam Et. Gut. p. 535, 36: Τρὼς Τρωὸς Τρώϊος Τρωΐα, Ἰωνικῶς Τρωΐη καὶ συστολῇ ποιητικῇ τοῦ ω εἰς ο διὰ τὸ μέτρον καὶ ἐν συναιρέσει Τροία καὶ Τροίη; contra his locis, etsi satis multa de origine vocis Τροία fiunt verba, de pseudoboeotica huius vocis natura nihil commemoratur. Cum igitur ex his locis appareat dubitationem fuisse utrum Boeotica an poetica vox Τροία esset, iam quaeramus, quanam re talis dubitatio possit explicari. Accurate autem hanc rem examinantes videmus propter eandem causam poeticam, non Boeoticam dici vocem Τροία, propter quam pseudoboeoticam ab Herodiano eam dici potuisse supra ostendimus. Nam Boeotica mutatione ex Τρωΐα statim Τροία fiebat ut Ἀχελοῖος ex Ἀχελώϊος neque tum forma Τροΐα, cum formae Boeoticae velut Ἀχελοῖος nunquam dissolverentur, facile explicari poterat; contra si quis poeticam hanc formam dicebat, primum ex Τρωΐα poetica correptione propter metrum factum esse Τροΐα, deinde ex hac forma per synaeresin Τροία apte sumere poterat, plane ut factum est loco Etym. Gud. supra allato.

Quae cum ita sint, ne Herodianum quidem pseudoboeoticam dixisse puto vocem Τροία, sed poeticam, praesertim cum multas poeticas formas Herodianum statuisse supra viderimus, atque apud Herodianum II, 370, 5 (et I, 302, 2) deleta particula ὡς ante Βοιωτιακόν, quae nihil esse videtur nisi dittographia insequentis ὡς (ὡς Ἡρωδιανός),[1] pro Βοιωτιακὸν scribendum puto ποιητικόν, quod propter antecedens κατὰ Βοιωτοὺς facile in Βοιωτιακὸν poterat perverti.

[1] Fortasse particula ὡς non delenda est, sed post ὡς excidisse sumendum est alterum eiusdem poeticae correptionis vocalium ωϊ in οϊ exemplum, quamquam ipse nullum aliud inveni. (In inscriptionibus inveniri ἡροϊκὸς Kaibelius me monuit.)

CAPUT TERTIUM.

Quid significent voces κοινὴ συνήθεια et κοινὴ διάλεκτος.

PARS PRIOR.

De voce q. e. (κοινὴ) συνήθεια.

Iam supra saepe commemoravimus συνήθειαν vel κοινὴν συνήθειαν ab Herodiani appellari quintam illam dialectum, quam alii κοινὴν διάλεκτον appellari consueverant. Nunc accuratius quam habeat vox συνήθεια apud Herodianum significationem, persequamur. Atque primum quidem dicendum est non unam eandemque huius vocis vim semper apud illum esse, sed admodum variam atque diversam. Neque hoc mirum est; nam cum συνήθεια nihil sit nisi mos, consuetudo, multiplices res quae in consuetudinem abierant, ea designari potuisse apparet.

Primum igitur in Iliaca praesertim prosodia vox συνήθεια ita nonnunquam ponitur, ut significet vulgatam et consuetam codicum lectionem i. e. παράδοσιν eodem fere sensu quo ἡ συνήθης ἀνάγνωσις (e. g. II, 24, 22. 90, 13. 147, 13.) Ea enim συνήθεια intellegenda est primum Il. pros. II, 76, 11; ἃ δειλ'· ἐπεὶ μετὰ τὰς προςαγορευτικὰς ἀνάγκη στίζειν, ὡς μαρτυρεῖ ἡ συνήθεια στίζουσα μετὰ τὴν δευτέραν λέξιν· οὐκ ἔστι δὲ πλήρης· ἀλλὰ συνήλειπται· οὕτως δὲ ἡμῶν ἀναγιγνωσκόντων... Nam hic illud συνήθειαν ad codicum lectionum esse referendum cum per se patet tum confirmatur loco qui est II, 105, 12, unde etiam priore loco de ἀναγνώσει agi aperte sequitur. Neque minus certa res mihi videtur II, 35, 15: Οἴτυλον ὡς δάκτυλον· κακῶς δὲ Τυραννίων οἰόμενος ἄρθρον εἶναι τὸ οἱ παρὰ τὴν συνήθειαν τοῦ ποιητοῦ ἁμαρτάνων. Lentzius sane in praefatione ad Herod. p. CXXX med. verba καὶ παρὰ τὴν Ὁμήρου συνήθειαν vertit «et contra usum Homeri»; sed haec quomodo intellegeret, nec addidit nec addere facile, puto, poterat. Agitur enim de versibus Homeri B 581 sq.; cum autem in solo versu 585 urbis Οἴτυλον nomen ab Homero commemoraretur, utrum Τύλον an Οἴτυλον dixisset Homerus, ex usu Homeri omnino diiudicari nequibat. Nam quod illo loco Tyrannio scripsit ἠδ' οἱ Τύλον, optime ferri potest, cum minime

ab Homeri usu loquendi sit alienum et optimum praebeat sensum. Itaque nihil iam restat, nisi ut illud συνήθεια significare putemus vulgatam huius Homeri loci scripturam, eam lectionem quae omnium codicum auctoritate firmabatur. Eandem porro significationem habet vox συνήθεια II, 69, 5: ἐπίσκοπος. Ἀρίσταρχος ὡς κατάσκοπος. Νικίας δὲ ἀναστρέφει τὴν ἐπὶ, ἵν' ᾖ ἐπὶ Τρώεσσιν· ἄμεινον δὲ τῷ Ἀριστάρχῳ συγκατατίθεσθαι· ἤδη γὰρ ἡ συνήθεια τὴν τοιαύτην ἀνάγνωσιν ἐπίσταται. Hic igitur propterea quia iam ἡ συνήθεια talem compositionem novit, Aristarchi scripturam probat Herodianus; cumque simili modo II, 75, 36 scripturae τόνδε uno verbo has syllabas complexae adsentiatur διὰ τὸ ἤδη πεπεῖσθαι τὴν παράδοσιν, quid verisimilius quam priore quoque loco illud συνήθεια significare παράδοσιν i. e. consuetam codicum lectionem? Porro, ut saepissime dicit Herodianus, ἐπείσθη ἡ παράδοσις, si de variis agitur lectionibus, quarum una in codices est recepta, sic semel dixit καὶ ἐπείσθη (ἡ) συνήθεια II, 153, 5, ut significaret Ptolemaei Ascalonitae lectionem in Homeri codicibus obtinuisse.

Praeter hos Homericae prosodiae locos in ceteris Herodiani libris nonnulli, sed pauci occurrunt loci, ubi eandem vim voci συνήθεια subesse verisimile est, veluti in Pros. cath. I, 111, 26: τὸ σωὸς ὅπερ ἡ συνήθεια διὰ τοῦ ω̄ γράφει· τινὲς δὲ διὰ τοῦ ι̅, ubi ipsum illud γράφει demonstrat de codicum scriptura hic loqui Herodianum. Deinde proxime ad similitudinem Homericae prosodiae locorum accedit locus qui est in Pros. cath. I, 230, 4: βριήπυος· ἐγένετο δὲ οὕτως. ἤπυς ὡς γῆρυς· διὸ καὶ προπαροξύνει αὐτὸ ἡ συνήθεια. Nam hic locus cum totus fluxerit ex schol. cod. A ad Il. N 251, dubium esse non potest, quin ut saepissime in accentibus vocabulorum Homericorum statuendis, ita hic quoque codicum memoriam respexerit Herodianus.

Altera autem significatio vocis συνήθεια ea est, ut idem significet, quod ἡ συνήθης χρῆσις e. g. I, 379, 8: ἀλλὰ δύο μόνον εὕρονται ἐν συνήθει χρήσει i. e. in communi omnium Graecorum usu. Haec autem significatio tum statuenda est, si non de duplici codicum memoria agitur, sed de duplici diversoque loquendi usu, veluti loco de voce ἐρωδιὸς II, 176, 1 sq.: Hic enim postquam dictum est vocem ἐρωδιὸς derivari ab voce ῥοίζω, eam autem a plurimis scriptoribus ἐρωδιὸς, ab uno Hipponacte

ῥωδιὸς dici, additur: καὶ ὡς μὲν πρὸς τὴν συνήθειάν ἐστιν ἀφαίρεσις, πρὸς δὲ τὸν σχηματισμὸν ἐντελές, i. e. si communem omnium scriptorum usum spectes, ῥωδιὸς aphaeresin passum videtur; contra si ipsam etymologiam respicias, ῥωδιὸς primitiva est forma.

Neque alia vocis συνήθεια vis esse potest loco de voce χάλδος I, 142, 24: χάλδος· οὕτως γὰρ δισυλλάβως λέγεσθαι ἐπεκράτησεν ἡ συνήθεια, οὐ χαλδαίους, quo loco simili dicendi ratione usum esse apparet Herodianum ac Etymol. Mag. p. 575, 21: μέλανος. ἐπεκράτησεν δὲ ἡ συνήθεια διὰ τοῦ ν̄ μόνον αὐτὸ καλεῖν (non μέλαντος, ut semel dixit Antimachus).

Ut his locis omnium Graecorum vulgatus et communis usus, sic Homeri consuetus usus, non vulgata apud Homerum scriptura significatur voce συνήθεια loco qui est II, 25, 36: Πηλείδη θέλ'· Ἀρίσταρχος ἀποφαίνεται ὡς κατὰ τὴν Ὁμηρικὴν συνήθειαν κατὰ τὸν ἐνεστῶτα ἀπὸ τοῦ ε̄ ἄρχεται. Nihil enim hoc loco potest dici nisi Homerum non θέλω, sed ἐθέλω dicere solitum esse.

Quare videmus vocem συνήθειαν duabus diversissimus significationibus usam aliis quas commemoravimus locis ad vulgatam codicum scripturam, aliis ad communem usum esse referendam; longe autem plurimis locis nec vulgatam librorum memoriam nec in universum omnium Graecorum scriptorum communem usum designat, sed eum Graecorum usum, qui post Alexandri fere tempora communis totius Graeciae est factus, i. e. dialectum illam quam vulgo dicunt κοινήν. Quod cum vel summi momenti sit ad totam Herodiani doctrinam explicandam, paulo uberius de hac re disputabimus.

Primum igitur vocem συνήθειαν dialectum quandam nonnunquam significare plane ut voces Ἀττικοί, Ἴωνες etc., optime apparet ex loco libri περὶ μον. λεξ. qui est II, 930, 7: ἔστιν· οὔποτε ῥῆμα γ̄ προσώπου εἰς τ̄ι λήγει, λέγω δὲ πρὸ τοῦ ῑ ἔχον τὸ σ̄ οὔτε κατὰ τὰς ἄλλας διαλέκτους οὔτε κατὰ τὴν συνήθειαν, ἀλλὰ μόνον τὸ ἐστίν. Nam si ceteris dialectis opponitur ἡ συνήθεια, necesse est ipsa sit dialectus.

Neque vero aliam ullam dialectum τὴν συνήθειαν intelligi posse nisi eam quam vulgo dicunt τὴν κοινὴν variis rebus potest probari. Primum enim compluribus Herodiani locis aperte distinguitur ab Jonum, Atticorum, Doriensium, Aeolensium, Boetorum dialectis (cfr. II, 18, 27; II, 916, 7, Ep. Cram. I,

p. 362, 27 [cfr. Lentzii adnot. ad fragm. 112 et 113 pathol.]); deinde, si quantum nunc fieri potest, quaerimus, apud quosnam scriptores vocabula quae solius συνηθείας propria esse dicuntur, inveniantur, apparet aut nusquam aut apud solos scriptores posterioris aetatis ea inveniri.

I, 20, 12: δοθιών· τὸ ἐν τῇ συνηθείᾳ λεγόμενον ἀντὶ τοῦ δοθιήν· quae vox nunc nusquam reperitur nisi in exemplo a Suida ex incerto auctore allato: ἔχουσι δοθίωνα ὑπερφυόμενον ἄρτι.

I, 40, 23: τὰ εἰς ῶν ὀξύτονα καὶ μονοσύλλαβα ἐν τῇ συνθέσει ἀναβιβάζουσι τὸν τόνον, ὅποτε μὴ σχέσει τοπικῇ ἥνωνται ὡς ἔχει τὸ κατὰ συνήθειαν προκοιτών, προπυλών, προθυρών. Vox προκοιτὼν semel invenitur in epistula Plinii, unde facile cognoveris illis temporibus satis usitatam fuisse hanc vocem, etsi hodie apud nullum scriptorem Graecum exstat. Voces προπυλών, προθυρών, si has quoque τῆς συνηθείας proprias dicere voluit, qua de re dubitari potest, cum dicat τὸ κατὰ συνήθειαν προκοιτών, hodie nusquam leguntur.

I, 353, 28: πρόσκειται τῷ κανόνι ἁπλοῦν ἵνα μή τις ταῦτα σύνθετα συνεχῶς ἐν τῇ συνηθείᾳ λεγόμενα παρατάξῃ, λέγω δὲ τὸ πρόδομα καὶ πρόπομα, ὅπερ καὶ πρόπωμα. πρόπομα vel πρόπωμα invenitur apud Aelium, Alex. Trall., Athenaeum, Phylarch, Plut. saepissime, πρόδομα nusquam exstat.

I, 375, 30: κηρυκεῖον τὸ μονογενὲς καὶ προσηγορικὸν ὅπερ καὶ ἡ συνήθεια ἐπίσταται; invenitur apud Pausaniam.

II, 47, 39: Κρόνιος ἐν τῇ συνηθείᾳ; invenitur apud. Paus., Luc., Porphyr.

II, 565, 26: πεῖσμα εἴτε ἐπὶ τοῦ ἐν τῇ συνηθείᾳ λεγομένου εἴτε ἐπὶ τῶν ἀπογείων σχοινίων διὰ διφθόγγου γράφεται. Prior illa significatio, qua hanc vocem ἐν τῇ συνηθείᾳ uti dicit Herodianus, nulla esse potest nisi «persuasio»; quam significationem πεῖσμα non habet nisi apud Sext. Emp., Epict., Plut., Isid., Clement.

II, 569, 29: πιλήσω· ἐν τῇ συνηθείᾳ φασὶν πιλώσω. Aoristi vel futuri tempora a πιλόω deducta non inveniuntur nisi apud Theophr.; contra praesentis πιλόω formae iam apud Aristophanem occurrunt.

II, 731, 11: Γράσων, Γράσωνος ὄνομα κύριον, ᾧ ὅμοιον κλίνεται καὶ τὸ νῦν ἐν τῇ συνηθείᾳ ἐπιθετικὸν λεγόμενον. Apud Athenaeum bis vocem γράσων significatione «hircosus» videmus adhibitam.

II, 804, 24: ἔπαον, ἔνθεν ἐν τῇ συνηθείᾳ ἐπάην, quae forma nunc quidem nusquam occurrit nisi apud scriptores post Herodianum natos; sed olim sine dubio apud antiquiores quoque exstabat.

II, 912, 13: Ἀθηνᾶ τοῖς Ἀθηναίοις καὶ τῇ συνηθείᾳ γνωστή; Atticis scriptoribus exceptis forma Ἀθηνᾶ invenitur apud solos pedestres scriptores posterioris aetatis.

Nusquam autem reperiuntur nunc quidem voces hae, quas τῇ συνηθείᾳ tribuit Herodianus.

I, 48, 46: κώθων εἶδος ποτηρίου καὶ τὸ ἐν τῇ συνηθείᾳ ἐφ' ὕβρει λεγόμενον.

Quid hoc loco significet Herodianus, apparet ex loco E. M. s. v. κώθωνες: νῦν ὑβρίζοντες τὴν λέξιν λέγουσιν, ὅτι διὰ μέθην οὕτως ἐκλήθη et ex Hesychio s. v. Κώθων μεθύοντες.

I, 70, 36: προαστίτης ἐν τῇ συνηθείᾳ.

I, 128, 11: πατροιὸς ἐν τῇ συνηθείᾳ.

I, 272, 18: Ἡραία ὅπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ φασίν τινες Ἡερίαν κακῶς.

I, 340, 13: λάθυρον. . . ἀθάρη ἐστίν τι σιτῶδες ὅπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ λάθυρον καλεῖται.

I, 434, 28: τοῦ ἐν τῇ συνηθείᾳ λεγομένου λεῖαξ.

II, 767, 4: στίμμι, ὅπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ λαχᾶς καλεῖται.

II, 869, 30: ἐν τῇ συνηθείᾳ ἐπεκράτησεν ἀμφοτέρων οἰκήτορας Ψιλιανοὺς καλεῖν.

II, 884, 13: Γέλα, πόλις Σικελίας, τὸ ἐθνικὸν Γελῷος, οὐ Γελαῖος, ὡς Ἄβρων (grammaticus) καὶ ἡ συνήθεια.

II, 893, 5: Δοκίμειον, πόλις Φρυγίας· τὸ ἐθνικὸν Δοκιμεὺς κατὰ τέχνην· κατὰ δὲ συνήθειαν Δοκιμηνός (Δοκιμηνεὺς invenitur apud Theophanem).

Deinde in vocabulorum prosodia constituenda saepius commemorat Herodianus τὴν συνήθειαν veluti:

I, 219, 2: πάγετος, ὅπερ ἡ συνήθεια ὀξύνει.

I, 270, 20: φωρίαμος Ἀττικοί· φωριαμὸς ἡ συνήθεια.

I, 505, 7: ἀτταταῖ, παπαῖ· ἡ συνήθεια ὀξύνει τὸ ὄνομα.

II, 18, 24: ῥιπίς· ἡ συνήθεια ἐκτείνει.

Hae sane formae, si codices nostros sequimur, minime apud solos posteriores scriptores reperiuntur, sed in his rebus codicum auctoritas nihil valet.

Gravius est, quod II, 429, 31 haec leguntur: ψίλιον ὅπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ ψέλιον εἰώθασιν λέγειν. Nam ψέλιον legitur iam apud Xenophontem et Herodotum. Facile igitur putaveris ex usu posteriorum librariorum negligentia in codices Herodoti et Xenophontis irrepsisse formam ψέλιον. Sed potest haec difficultas etiam alio modo expediri eoque probabiliore, ut mihi quidem videtur. Nam hoc loco res mihi eadem esse videtur, quae loco E. M. 215, 29: ἡ μὲν συνήθεια βρόγχον καλεῖ, οἱ δ' ἀρχαῖοι βράγχον; etenim vox βρόγχος, quae hic τῇ συνηθείᾳ tribuitur, invenitur iam apud Hippocratem. Hac autem de voce quomodo iudicandum sit, docet alter E. M. locus 211, 19: βρόγχος, ὃς καὶ βράγχος καλεῖται τοῖς παλαιοῖς, unde apparet ne antiquos quidem grammaticos vocem βρόγχος solius συνηθείας propriam putavisse, sed hoc tantum docuisse eos praeter formam βρόγχος in τῇ συνηθείᾳ semper adhibitam antiquos scriptores etiam βράγχος dixisse. Similiter igitur veteribus scriptoribus et ψέλιον et ψίλιον secundum grammaticos dicere licuisse suspicari licet.

Maxime autem τὴν συνήθειαν intellegendam esse κοινὴν dialectum cognoscemus, si varias appellationes, quibuscum aut commutari aut coniungi solet vox συνήθεια, accurate examinaverimus.

Nihil enim dubium potest esse quin ubicunque de «nostra» (ἡμετέρα) dialecto loquitur Herodianus aut «nos» (ἡμᾶς) forma quadam usos esse dicit, τὴν κοινὴν significet dialectum; quod cum per se facile intellegitur tum plane apparet ex loco qui est II, 12, 24 sq. Ipsum autem illud ἡμεῖς sive ἡ ἡμετέρα dialectus saepissime una cum voce συνήθεια coniungitur aut eius loco ponitur. Nam si Herodianus II, 926, 26 haec habet μίσγω οὐδὲν ῥῆμα δισύλλαβον βαρύτονον ἔχον πρὸ τοῦ $\overline{\omega}$ ἕν τι τῶν μέσων κατ' ἐπιπλοκὴν, ἔχει τὸ $\overline{\sigma}$· ὁ δὲ λόγος ἐπὶ τῆς ἡμετέρας διαλέκτου· φέρβω, τρίβω... et si II, 929, 26 haec leguntur: οὐδὲν εἰς $\overline{\mu\iota}$ λῆγον ὁριστικὸν ῥῆμα κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον διφθόγγῳ παραλήγεται, ἄλλα μόνον τὸ εἰμί. . . . πρόσκειται κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον, ἐπεὶ Αἰολεῖς πάλαιμι καὶ γέλαιμί φασιν, Βοιωτοὶ δὲ τάρβειμι καὶ φίλειμι, nonne cum Herodianus in prooemio totius libri περὶ μον. λέξ., unde loci illi sunt desumpti, dixerit inter ea singularia se distincturum esse quae τῆς συνηθείας propria sunt et ea quae et antiquis et τῇ συνηθείᾳ sunt cognita, Aeolenses

autem et Boeoti in numero antiquorum, ut infra docebimus, sint habendi, nonne, dico, hinc verisimillimum est vocem συνήθειαν idem significare quod τὴν ἡμετέραν διάλεκτον? Deinde si ceteros grammaticos comparamus, apud hos quoque permultis locis vox ἡμεῖς vel omnino prima pluralis persona verbi cuiusdam ad τὴν συνήθειαν est referenda, veluti Trypho dicit apud Ammon. p. 94: μισητή... καθάπερ καὶ ἡμεῖς ἐν τῇ συνηθείᾳ προφέρομεν aut veluti in Et. M. p. 687, 46 legimus ὅθεν καὶ ἡμεῖς ἐν τῇ συνηθείᾳ τοὺς πεφυσημένους πεπρησμένους λέγομεν. Quibus cum locis apte comparari possunt alii nonnulli E. M. loci velut p. 672, 1: οὐ πιλώσω, ὡς ἐν τῇ συνηθείᾳ φαμέν et p. 525, 18: κοῦφι ὅπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ λέγομεν et p. 71, 16: ἅλας ὅπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ οὐδετέρως φαμέν. Itaque cuin prima persona pluralis ad ea quae τῆς συνηθείας propria sunt, designanda saepissime utantur grammatici, mirum certe videtur, quod haec persona manifeste opponitur voci συνήθεια loco Herodiani qui est I, 41, 7: βραχίων· οὐδὲ γὰρ λέγομεν βραχιών, ὡς λέγουσιν ἐν τῇ συνηθείᾳ, ἀλλὰ βραχίων. Minime sane ignoro prima pluralis persona etiam tum uti Herodianum, cum suam sententiam ceterorum grammaticorum sententiis opponit, veluti II, 298, 11; sed hic non de grammaticorum diversis opinionibus agitur, sed de duplici loquentium usu. Itaque vereor, ne exciderit hoc loco vox τινὲς atque totus locus sic scribendus sit: οὐδὲ γὰρ λέγομεν βραχιών, ὡς λέγουσί τινες, ἐν τῇ συνηθείᾳ, ἀλλὰ βραχίων. Saepe enim in proferendis formis non idem semper omnes sensisse ἐν τῇ συνηθείᾳ, sed alios aliam adhibuisse formam docent plures loci Herodiani veluti II, 923, 25, φυλακτέον ὡς πολλοὶ ἐν τῇ συνηθείᾳ διὰ τοῦ ω̄ λέγουσι δοθιών et II, 272, 19 Ἥραια ἄκρα καταντικρὺ Καλχήδονος· ταύτην δὲ ἐν τῇ συνηθείᾳ Ἠρίαν φασί τινες, κακῶς. Illud autem τινὲς facile omitti poterat, ut aliis quoque locis omissum est, velim enim conferas locum Herodiani II, 208, 5, ubi τινὲς supplevit Lentzius.[1]

[1] Simillimum loco de voce βραχίων esse puto locum de voce φθεὶς apud Herod. II, 748, 13, qui tamen et ipse corruptus est. Nam quae traduntur l. l. φθείς, φθειρός· τοῦτο δὲ ἀρσενικῶς λέγεται. οὐδὲ γὰρ, ὡς λέγουσί τινες τὰς φθεῖρας θηλυκῶς ἐν τῇ συνηθείᾳ — non omni ex parte recte se habere ipsa grammatica constructio

Praeter vocem ἡμεῖς cum voce συνήθεια aliquo modo coniunctam videmus saepe vocem νῦν veluti II, 911, 12; χαιρέτω ἄρα ἡ γῆ μονοσυλλάβως οὖσα συνήθης οὖσα τῇ νῦν χρήσει καὶ τῇ τῶν παλαιῶν πάντων, ubi illud ἡ νῦν χρῆσις idem esse quod τὴν συνήθειαν docent quae antecedunt II, 911, 10 sq. Eadem autem res est II, 912, 30: ἵνα ἐκφύγωμεν τὸ σύνηθες τὸ μνᾶ Ἀττικοῖς καὶ τῇ νῦν χρήσει; nam paulo supra de eis vocibus sermo fit, quae cognitae sunt τοῖς Ἀττικοῖς καὶ τῇ συνηθείᾳ (II, 912, 28). Porro artissime coniunctae sunt voces νῦν et συνήθεια II, 731, 11: Γράσων ὄνομα κύριον, ᾧ ὅμοιον κλίνεται καὶ τὸ νῦν ἐν τῇ συνηθείᾳ ἐπιθετικὸν λεγόμενον et si in hac quoque re ceterorum grammaticorum testimoniis uti volumus, de voce κώθων, quam Herodianus I, 28, 26 τῇ συνηθείᾳ tribuit, in Et. M. s. v. κώθωνες haec leguntur: κώθωνες· νῦν ὑβρίζοντες τὴν λέξιν ἔλεγον. Quodsi ἡ νῦν χρῆσις eadem est quae ἡ συνήθεια, iam cum ea quae νῦν in usu ab Herodiano dicuntur esse,[1] certe nullius dialecti propria haberi possint nisi τῆς κοινῆς, plane apparet vocem q. e. συνήθεια idem debere significare quod τὴν κοινὴν quam vulgo dicunt dialectum.

Denique pro voce συνήθεια etiam tertia appellatio ab Herodiano usurpatur nonnunquam, qua nisi illud συνήθεια designaret τὴν κοινὴν διάλεκτον, Herodianum uti minime potuisse nemo negabit; est enim ἡ ἀνὰ χεῖρα ὁμιλία i. e. is quem omnes in colloquio adhibemus sermo. Huic enim locutioni non aliam subesse vim quam voci συνήθεια facile cognoscere poteris ex loco

coarguit; etenim accusativus τὰς φθεῖρας unde pendeat, non video. Itaque ad exemplum loci de voce βραχίων supplendam puto post γὰρ vocem λέγομεν atque sic scribendum: οὐδὲ γὰρ λέγομεν, ὡς λέγουσί τινες, τὰς φθεῖρας θηλυκῶς ἐν τῇ συνηθείᾳ; qua recepta coniectura apparet hunc locum ad verbum fere consentire cum loco de voce βραχίων, qualem quidem nos eum restituimus.

[1] Ipsi voci νῦν magis dialecti quam temporis notionem inesse mihi quidem videtur; nam si II, 876, 5 haec invenimus: Τερόδιζα, πόλις Θρᾴκης· τὸ ἐθνικὸν ἔδει Τεροδιζαῖος· νῦν δὲ Τεροδιζηνὸς λέγονται ὡς Κράτερος ἐν θ' περὶ ψηρισμάτων, illud νῦν, cum exemplum formae Τεροδιζηνὸς ex Cratero afferatur, qui paulo post Alexandrum floruit, non ad sola Herodiani tempora, sed omnino ad novissimam dialectum, quae vulgo dicitur ἡ κοινὴ, esse referendum plane apparet.

libri περὶ μον. λέξ., qui est II, 935, 3 sq., ubi primum loquitur Herodianus de vocibus singularibus, quae cognitae sunt τῇ νυνὶ συνηθείᾳ καὶ τῇ τῶν παλαιῶν χρήσει, deinde easdem notas dicit καὶ τῇ ἀνὰ χεῖρα ὁμιλίᾳ καὶ τῇ τῶν παλαιῶν χρήσει. Praeterea vox ἡ ἀνὰ χεῖρα ὁμιλία invenitur etiam II, 931, 24 ne hic quidem alia usa significatione, dummodo recte istum locum explicemus: ἅπαξ ἅπαντες γὰρ λέγομεν καὶ ἅπαξ ἁπλῶς ἐν τῇ ἀνὰ χεῖρα ὁμιλίᾳ· Hic autem illud ἡ ἀνὰ χεῖρα ὁμιλία referendum non est nisi ad vocem ἁπαξάπλῶς; nam ἅπαξἅπαντες iam apud Aristophanem et alios veteres scriptores occurrit, cum ἁπαξάπλῶς non inveniatur nisi apud Lucianum, Sext. Emp., Alciphr., Agath. aliosque posteriores scriptores. Tertio loco illud ἡ ἀνὰ χεῖρα ὁμιλία vel quod idem debet significare, ἡ ἀνα χεῖρα χρῆσις a Lentzio e coniectura est positum, nimirum II, 173, 22, ubi Lentzius scripsit σχεδὸν γὰρ ἡ ἀνὰ χεῖρα χρῆσις ἀσταφὶς ἔχει pro eis quae codices habent: σχεδὸν γὰρ ἡ εἰς ᾱ χρῆσις ἔχει, quae sensum nullum praebent. Sed quae Lentzius coniecit, mihi quidem vera minime videntur. Nam forma ἀσταφὶς adeo non τῆς ἀνὰ χεῖρα ὁμιλίας vel τῆς συνηθείας propria dici potest, ut ab Eust. p. 799, 27 et a Moeride s. v. ἀσταφὶς Attica dicatur; quocum consentit, quod Plutarchus forma σταφὶς usus est, non forma ἀσταφίς. Itaque pro Lentzii coniectura alia est excogitanda, neque video quid melius possit scribi quam ἡ πλείων vel ἡ συνήθης χρῆσις; nam crebrius apud scriptores inveniri formam ἀσταφὶς quam σταφὶς certum est.[1]

Quae cum ita sint, dubitari non potest quin Herodianus τὴν κοινὴν διάλεκτον i. e. eam dialectum, quae post Alexandrum omnium Graecorum communis facta est, appellare solitus sit τὴν συνήθειαν; sed cum supra viderimus (cfr. p. 90 sq.) vocem συνήθεια haud raro non solum posteriorum Graecorum usum designare, sed in universum omnium Graecorum usum atque adeo vulgatam codicum lectionem, apparet, nisi sumimus diversissimas res ab initio eodem nomine esse appellatas a

[1] Quod pro voce συνήθεια Herodianus etiam ἡ ἀνὰ χεῖρα ὁμιλία dixit, hoc demonstrat τῆς κοινῆς dialecti i. e. eius, qua ipse usus est, dialecti cognitionem non solum ex scriptoribus eum petivisse, sed, ut iam supra significavimus, etiam ex ipso eruditorum suae aetatis virorum polito sermone, quo inter se in cotidianis colloquiis utebantur.

grammaticis, quod veri non est simile, illud συνήθειαν non posse primitivam et integram τῆς κοινῆς appellationem fuisse. Neque vero apud ipsum Herodianum desunt accuratioris appellationis vestigia; nam ipse nonnunquam non συνήθεια dicit, sed ἡ κοινὴ συνήθεια vel ἡ νῦν συνήθεια, nimirum ἡ κοινὴ συνήθεια, quia hac potissimum re a ceteris dialectis differebat ἡ συνήθεια, quod in omnium Graecorum, et Atticorum et Boetorum et Jonum et Doriensium communem usum abierat, aut ἡ νῦν συνήθεια, quia ipsius etiam aetate utebantur hac dialecto viri docti et eruditi. Sic enim ἡ κοινὴ συνήθεια invenitur II, 18, 24 et II, 919, 34 et II, 70, 2 et II, 637, 17, quibus omnibus locis quin ἡ κοινὴ συνήθεια eadem usa vi qua ἡ συνήθεια ad κοινὴν quam dicunt διάλεκτον pertineat, dubium non potest esse. Nec non ἡ νῦν συνήθεια pro voce συνήθεια ponitur nonnullis Herodiani locis veluti II, 935, 5, qnem locum iam supra commemoravimus, et II, 13, 21 τὰ διὰ τοῦ αριον ὑποκοριστικὰ παρὰ τοῖς παλαιοῖς Ἕλλησι συστέλλει τὸ ᾱ· ἡ μέντοι νῦν συνήθεια ἀπὸ τῆς τῶν Ῥωμαίων διαλέκτου πολλὰ ἐπίσταται διὰ τοῦ αριον ἐκτεταμένα.

Plurimis autem locis spreta accuratiore huius dialecti appellatione τὴν συνήθειαν eam Herodianum dixisse iam supra vidimus; quare mirum minime est, quod nonnullis locis ad quamnam rem illud συνήθεια pertineat, dubitari potest. Nam loco qui est I, 326, 6 Γερμηνὴ ἡ συνήθεια ὀξύνει Lobekius in Prol. path. gr. p. 185 vocem συνήθεια ad usum communem omnium Graecorum pertinere sumere mihi videtur; dicit enim secundum Herodianum illud Γερμηνὴ esse vocabulum usu tritum atque propter id ipsum putat formam Γερμηνὴ esse corruptam, cum nusquam inveniatur. Sed erravit vir doctissimus; nam hic quoque ἡ συνήθεια nihil aliud designat nisi τὴν κοινὴν διάλεκτον, ad quam in ponendis accentibus saepius Herodianum confugere vidimus (cfr. p. 93). Neque tum quod Γερμηνὴ hodie nusquam invenitur, mirum est, cum multa, ut supra ostendi (cfr. p. 93), quae τῇ συνηθείᾳ tribuit Herodianus, apud scriptores nunc quidem nusquam reperiantur. Deinde locis Iliacae prosodiae II, 86, 36 Τυραννίων τὴν αυτω ἀντωνυμίαν καθ' ἓν ἐλάμβανεν ὡς ἐν τῇ συνηθείᾳ et II, 76, 2 ἦσεν ἀντὶ τοῦ ἦ, ὅπερ ἡ συνήθεια ἀφῇ et II, 114, 16 ἐπέων νόμος, ἵνα σημαίνῃ τὸ ἐν τῇ συνηθείᾳ νέμησις, quominus vocem συνήθεια ad τὴν κοινὴν διάλεκτον referamus, id

obstare videtur, quod voces αὐτῷ, νέμησις, ἀφῇ non solum in communi dialecto, sed etiam apud Atticos, alios inveniuntur. Tamen ne hic quidem τὴν συνήθειαν omnium Graecorum communem usum significare puto, sed posteriorum Graecorum sermonem, i. e. τὴν κοινὴν διάλεκτον; atque quod voces illae his locis soli συνηθείᾳ tribuuntur, inde explicandum esse censeo, quod cum Homericas easque remotiores formas interpretari vellet Herodianus, eas interpretatus est formis τῆς συνηθείας propriis i. e. eius dialecti, quae tum debebat esse notissima, nihil curans utrum hae voces in ceteris quoque dialectis invenirentur necne. Simile quid factum est permultis E. M. locis, ubi quid vox quaedam apud Homerum usitata significet, illustratur addita ea, quae idem ἐν τῇ συνηθείᾳ significabat, voce veluti p. 179, 35. 592, 30. 799, 26. 914, 16.

Distinxit igitur si ea quae supra de singularum dialectorum scriptoribus disputavimus et quae nunc de vocis συνήθεια significatione diximus complectimur, Herodianus dialectos sex: Atticam, Doricam, Ionicam, Boeoticam, τὴν κοινὴν vel τὴν νῦν συνήθειαν. Vulgo autem ab antiquis quinque dialecti discernuntur veluti a Gregorio Corinthio, Quintiliano ceterisque grammaticis latinis, qui omnes Boeoticam dialectum Aeolica comprehendisse videntur. Sed Herodianum idem fecisse nullo modo licet sumere, cum saepissime distinguat inter Boeoticam et Aeolicam dialectum vel utraque inter se consentiente veluti II, 313, 4 et II, 912, 7 et II, 372, 4. Itaque vel maxime offendit, quod loco qui est II, 361, 14 (πλειάρειν τὸ γὰρ πλήρης οὗτός φησι πλειάρειν· οἱ γὰρ Αἰολεῖς τὸ η̄ εἰς ε̄ῑ δίφθογγον μεταβάλλουσιν· τὸ γὰρ πένης πένεις) mutatio vocalis η in ει, quae aliis locis permultis Boeotis ab Herodiano adscribitur (cfr. II, 361, 20. 30. 362, 16) Aeolensibus tribuitur. Quare verisimile mihi videtur illud Αἰολεῖς ab epitomatore pro voce Βοιωτοὶ esse positum, quarum vocum commutationem etiam reperimus in E. M. p. 104, 31 ὁ δεύτερος ἀόριστος ἔστην ἔστησαν καὶ κατὰ συγκοπὴν Αἰολικὴν ἔσταν, quae syncopa maiore iure tribuitur Boeotis in E. M. p. 401, 43 ἔφαν. οἱ Βοιωτοὶ ἐπὶ τῶν ἐχόντων τὴν μετοχὴν εἰς σ̄ ὀξύτονον· ἔβημεν ἔβαν.

Totum autem Graecorum usum, qualis sex illis dialectis continetur, ita dispertitus est Herodianus, ut τῇ συνηθείᾳ opponeret τοὺς παλαιοὺς vel τὴν τῶν παλαιῶν Ἑλλήνων χρῆσιν. Qua

discernendi ratione nititur totus liber περὶ μον. λέξ., quod in universum efficitur ex prooemio huius libri (II, 910, 22 sq.) et singuli loci confirmant. Velim enim conferas hos locos: II, 910, 11: γῆ· τὰ εἰς ῆ λήγοντα ὀνόματα ἐπ' εὐθείας περισπώμενα κατὰ τὴν συνήθειαν καὶ τὴν τῶν παλαιῶν χρῆσιν etc. et II, 919, 5 οὐ μάχεται δὲ τὸ Ἀττάλλων κατὰ συνήθειαν ἐν ἀγνοίᾳ ὂν καὶ τῇ τῶν παλαιῶν χρήσει et II, 930, 18: οὐδεὶς παρακείμενος κατὰ τὴν τῶν παλαιῶν χρῆσιν καὶ κατὰ τὴν συνήθειαν etc. (cfr, II, 919, 33. 928, 29. 929, 26). Neque in solo libro περὶ μον. λέξ. ab Herodiano haec distinctio facta esse videtur, sed in ceteris quoque libris eiusdem oppositionis reperiuntur vestigia. Etenim in libro περὶ διχρόνων haec exstant II, 13, 21: τὰ διὰ τοῦ $\overline{\text{αριον}}$ ὑποκοριστικὰ παρὰ τοῖς παλαιοῖς συστέλλεται· ἡ μέντοι νῦν συνήθεια etc., deinde ex libro περὶ κλίσεως ὀνομ. plures huc pertinent loci: II, 569, 29 Κτησιφῶν οὐ μόνον ἐν τῇ συνηθείᾳ, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις et II, 716, 10: ὅτι ἡ συνήθεια λέγει τὸ ἅλας οὐδετέρως σπανίως εὑρημένων παρὰ τοῖς ἀρχαίοις· Ut his locis ἡ συνήθεια et οἱ παλαιοί, sic alio eiusdem libri loco ἡμεῖς et οἱ παλαιοὶ inter se opponuntur: II, 749, 4: τοιαῦτα εὑρίσκομεν καὶ ἄλλα παρὰ τοῖς ἀρχαίοις φυλάττοντα τὸ $\overline{\text{ω}}$ ἐν τῇ γενικῇ· ταῦτα δὲ ποιητικά ἐστιν, ἃ ἡμεῖς διὰ τοῦ $\overline{\text{ο}}$ δεῖ γράφειν.

In prosodia catholica nunc quidem certa huius rei exempla desunt, sed olim ne hic quidem similes locos defuisse coniectura possumus assequi. Etenim II, 492, 7 nunc haec exstant: βᾶ ἐν τῇ συνηθείᾳ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ἔκπληξιν δηλοῦν. Sed quid hoc loco verba ἐν τῇ σ. π. τ. α. significant? Potest sane quis suspicari haec sic intellegenda esse, ut vertamus: in sermone quotidiano apud veteres; sed talis vocis συνήθεια significatio nullo alio loco potest confirmari. Atque quid re vera olim hoc loco scriptum fuerit, docet locus Eust., qui est p. 811, 21: οὕτως καὶ βᾶ ἐπίρρημα ὅπερ εἰώθαμεν ἐπιβοῶντες λέγειν ὡς καὶ τοῦτό φασιν οἱ ἀρχαῖοι. Hinc enim apparet non solum apud veteres adverbium βᾶ in usu fuisse, sed etiam ἐν τῇ συνηθείᾳ; nam prima persona pluralis verbi cuiusdam (εἰώθαμεν) saepe τὴν συνήθειαν significari supra (cfr. p. 94 sq.) vidimus. Itaque dubitari non potest, quin apud Herodianum scribendum sit ἐν τῇ συνηθείᾳ [καὶ vel ὡς καὶ] παρὰ τοῖς ἀρχαίοις.

Simili coniectura alius prosodiae catholicae locus potest sanari qui est I, 430, 25 πᾶν ῥῆμα βαρύνεται ἢ περισπᾶται·

ὀξύνεται δὲ οὐδέποτε κατὰ τὴν κοινὴν συνήθειαν, εἰ μὴ παρὰ Δωριεῦσιν. Hoc enim loco offendit quod id quod Doriensium proprium est, dicitur exceptio esse τῆς κοινῆς συνηθείας, quam nihil esse nisi communem dialectum et omni modo a Doriensium dialecto distinguendam supra satis demonstravimus. Immo cum Dorienses ab Herodiano in numero veterum (τῶν παλαιῶν) haberi infra docturi simus, necessario sumendum est olim ante verba κατὰ τὴν κοινὴν συνήθειαν τοὺς παλαιοὺς commemoratos atque sic fere scriptum fuisse: κατὰ τὴν τῶν παλαιῶν χρῆσιν καὶ (vel ἢ) κατὰ τὴν κοινὴν συνήθειαν, quo loco propter repetitam praepositionem κατὰ verba τῶν παλ. χρῆσ. καὶ κατὰ τὴν facile omitti poterant.

Eandem τῆς συνηθείας et τῶν παλαιῶν oppositionem si non aperte, tamen tacite fieri puto duobus Iliacae prosodiae locis II, 81, 12: αὖος· χρὴ μέντοι γινώσκειν, ὅτι μονήρές ἐστιν ἡ λέξις· οὐδὲν γὰρ εἰς $\overline{ος}$ λῆγον δισσύλλαβον τῇ $\overline{αυ}$ διφθόγγῳ κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον παραληγόμενον τριγενές ἐστιν, διὸ οὐδὲ ἀντιπαράθεσιν ἔσχεν et II, 108, 40 εἴγε ὁμοτονεῖ οὐδετέροις ἀεὶ τὰ ἀρσενικὰ κατὰ τὸ τέλος κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον ἑνὸς ἀντικειμένου τοῦ ἓν διὰ τὸ μὴ δύνασθαι περισπωμένην ἐπὶ βραχείας εἶναι. Ut enim a posteriore loco initium faciamus, sensus eius mihi hic esse videtur: neutrum alicuius adiectivi si oxytonon est, etiam masculinum debet oxytonon esse; sin illud perispomenon est, etiam hoc debet perispomenon esse una excepta voce ἕν, quae acuitur, cum masculinum εἷς circumflexo insigniatur. Hunc autem canonem Herodianus pertinere dicit ad solam ἡμετέραν διάλεκτον i. e. ad τὴν συνήθειαν, non ad τοὺς παλαιοὺς quoque, propterea sine dubio, quia apud Aeolenses et Dorienses una certe vox praeter vocem ἓν reperitur, quae huic canoni non respondet, nimirum vocabulum πάν, quod apud Aeolenses et Dorienses corripi et propterea acuto insigniri ipse tradit Herodianus II, 12, 23 sq. — Paulo obscurior est prior quem supra attuli locus, ubi illud αὖος singulare vocabulum esse dicitur, quia nullum praeterea invenitur bisyllabum in $\overline{ος}$ trium generum, quod ante terminationem $\overline{ος}$ habeat diphthongum $\overline{αυ}$ nulla interposita consonante. Cur autem hoc de sola «nostra» dialecto valere putaverit Herodianus, equidem me nescire fateor; tamen suspicari licet in usu veterum (τῶν παλαιῶν) etiam plura eiusmodi adiectiva fuisse nobis ignota.

Contra iniuria τοὺς παλαιοὺς et τὴν συνήθειαν inter se opponi

puto in libro περὶ ὀρθογραφ. II, 487, 10: γνάμπτω ἐκ τοῦ κάμπτω σύνηθες δὲ τοῖς παλαιοῖς λέγειν γνάπτω· ἀνεγνάφθη δέ οἱ αἰχμὴ (Γ 348) ἄνευ τοῦ μ̄· καὶ ἀνέγναψε γὰρ ἅπαντας (Β 14) ἄνευ τοῦ μ̄ ἐν τῇ συνηθείᾳ· οἱ δ' ὡς αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες (Π 428). Hunc autem locum corruptum esse nemo non videt. Primum enim sententiarum conexus satis obscurus est, deinde quod primum veterum usus, deinde τῆς συνηθείας testis Homerus affertur, quem formis τῆς συνηθείας propriis secundum Herodianum nunquam usum esse supra demonstravimus, nullo modo explicari potest. Quodsi coniectura hunc locum sanare conamur, facillima mihi videtur medela ea, ut pro verbis ἐν τῇ συνηθείᾳ scribamus ἐν τῇ συνθέσει, quae voces etiam apud Arcadium p. 183, 26 ed. Schmidt inter se commutatae sunt, et pro verbis ἄνευ τοῦ μ̄ ponamus ἄνευ τοῦ ν̄, ut totius loci sensus hic sit: veteres pro κνάμπτω solent dicere γνάπτω ἄνευ τοῦ μ̄; si vero cum aliis vocibus componitur κνάμπτω, ἄνευ τοῦ ν̄ dicunt γάμπτω ut in γαμψώνυχες. Videtur pugnare cum hac coniectura, quod etiam formae γνάπτω exempla afferuntur composita ἐπιγνάπτω et ἀναγνάπτω; attamen hoc dicendum est etiam simplex κνάπτω inveniri apud Platonem, Aeschyl., contra formam γνάμπτω non inveniri nisi in compositis. Sane parum accurate hanc sententiam hoc loco esse expressam concedo; sed hoc facile excusatur forma huius loci admodum mutilata.

Itaque cum Graecorum universum usum duplicem fuisse statuerit Herodianus, iam ex quo tempore τὴν συνήθειαν vigere sumpserit, accuratius erit quaerendum. Atque quod vulgo inde ab Alexandri temporibus τὴν κοινὴν διάλεκτον in usum venisse putant, ne Herodianus quidem aliter de hac re iudicasse videtur. Etenim ut iam supra adnotavimus, iam Craterum qui paulo post Alexandrum scripsit, τῆς συνηθείας testem citat nec non formas Theophrasti proprias veluti πιλώσω tribuit τῇ συνηθείᾳ II, 569, 31. Quocum consentit, quod Lyco, qui fuit discipulus Theophrasti, auctor τῆς συνηθείας dicitur II, 716, 25: τὸ ἅλας οὐδετέρως λεγόμενον ἐν τῇ συνηθείᾳ σπανίως εὕρηται ἐν χρήσει· εὕρηται δὲ παρὰ Λύκωνι τῷ Τρωαδεῖ. Itaque pedestres scriptores qui post Alexandri fere tempora fuerunt, τῆς συνηθείας testes sunt putandi; qui scriptores antea fuerunt, in veterum (παλαιῶν sive ἀρχαίων) numero sunt habendi.

Quodsi usum Hellenum qualis inde ab Alexandri aetate fuit, complexus est nomine ἡ συνήθεια, quae, ut supra vidimus, designat dialectum Graecorum novissimam et ceteris omnibus dialectis opponitur, hinc necessario efficitur, totam Atticorum, Ionum, Beotorum, Aeolensium, Doriensium dialectum secundum Herodianum adnumerandam esse veterum usui easque ad sola tempora Alexandro anteriora pertinere. Quod ut re vera ita se habere appareat ante omnia hoc nobis erit docendum etiam recentiores quas dicit Herodianus Aeolicam Doricam, Atticam, Ionicam dialectos ante Alexandrum viguisse, non post eum, ut nonnulli voluerunt. Nam ut ab Attica dialecto initium faciamus, iudicium de recentioris huius dialecti characteris aetate totum pendet ex loco Herodiani, qui est II. 326, 1-20, ubi de forma ἤδη s. ἤδει agitur, quem ad locum haec adnotat Krüger in gramm. Gr. I, p. 687, 7 : «forma tertiae personae ἤδη, quae nonnunquam in codicibus reperitur e. g. apud Sophoclem Od. 1125, nusquam apud classicos auctores extra dubitationem posita est. Choeroboscus (aut potius Herodianus) diserte dicit τὸ ἤδη ἐγὼ τῆς παλαιᾶς Ἀτθίδος ἐστὶν ἰδίωμα, τὸ ἤδη ἐκεῖνος τῆς νέας Ἀτθίδος; cum autem νέους Ἀττικοὺς dicat, significat τοὺς ἀττικίζοντας (veluti Lucianum). Sed haec sententia sine dubio perversa est, ut ipse locus Herodiani demonstrat; nam cum in fine huius loci addat Herodianus: ὁ γὰρ Ἀρίσταρχος εἰδὼς τοῦτο τὸ ἰδίωμα τῆς νέας Ἀτθίδος, fieri non potest, quin iam ante Aristarchum haec forma apud Atticos viguerit neque ab iis, qui vulgo οἱ ἀττικίζοντες dicuntur, primis sit adhibita. Itaque quamquam plura et accuratiora de utriusque Atticorum dialecti auctoribus ex Herodiani reliquiis iam non potest enucleari, hoc tamen verisimillimum est etiam recentioris Atticorum dialecti testes putasse Herodianum scriptores ante Alexandrum vel ipsius Alexandri temporibus florentes.

Idem autem de Ionica recentiore dialecto valere facile probari potest. Primum enim I, 108 (λαὸς ληὸς τῇ μεταγενεστέρᾳ Ἰάδι τραπὲν «ληὸν ἀθρήσας» Ἱππῶναξ) Hipponax, qui sexto ante Christum natum saeculo exeunte vixit, inter recentioris Ionici sermonis auctores affertur; itaque omnes post Hipponactem scriptores Ionici veluti Hecataeus, Herodotus pro recentioris dialecti Ionicae testibus sunt habendi. Quocum optime consentit,

quod II, 344, 5 ὤλλοι pro οἱ ἄλλοι et similes contractiones recentioribus Ionibus tribuuntur; quae contractiones creberrimae sunt apud Herodotum. Tertius locus, ubi posteriores Iones commemorantur, exstat apud Herodianum II, 642, 12: ἰστέον, ὅτι τοῦ Ζήν, Ζηνὸς ἐφύλαξαν οἱ παλαιοὶ Ἴωνες τὴν κλίσιν οἷον «ἔπει δ' ἴσχε Ζηνὸς ὑψερέφης δόμοις ζάρης» μεταγενέστεροι Αἰολεῖς ἔτρεψαν Ζανὸς καὶ Ζάν· καὶ ἔτι μεταγενέστεροι οἱ Ἴωνες διὰ τοῦ ᾱ· «κλῦθι μοι Ζανός τε κούρη Ζανί τ' ἐλευθερίῳ. Sed ex hoc loco de aetate recentiorum Ionum non multum discimus, cum ex quibus auctoribus versus illi petiti sint, nesciamus. Bergkius sane in poet. lyr. vol. III, p. 711 ad frg. 81 et 82 suspicatus est postremum versum Ioni Chio tribuendum esse; quod tamen probari nulla re potest.

Porro Aeolica recentior dialectus quanam aetate viguerit, admodum incertum est, nisi quod hanc quoque Alexandro anteriorem esse ipse ille locus de voce Ζηνὸς demonstrare videtur, quippe quo recentiores Iones quos supra ante Alexandrum viguisse vidimus, etiam posteriores fuisse dicantur recentioribus Aeolensibus.

Doricam recentiorem dialectum ipse Herodianus nusquam commemorat; sed hanc quoque eum agnovisse et iam Epicharmum pro teste eius habuisse supra ostendere conati sumus. Denique recentiori Laconicae dialecto ab Herodiano tribuitur forma μῶά, quae iam in Aristophanis codicibus reperitur.

Itaque haec omnia optime confirmant, quod supra contendimus, Aeolensium, Doriensium, Ionum, Atticorum, Boeotorum dialectos totas veterum usu secundum Herodianum comprehendi neque utrum, postquam ἡ κοινὴ συνήθεια in usum omnium abiit, hae dialecti etiam viguerint necne, quidquam eum curasse. Attamen etiam post Alexandrum atque adeo ipsius Herodiani aetate topicas illas dialectos in usu fuisse certum est neque ipsum Herodianum poterat fugere; quod nihilo minus eas neglexit, hoc iterum testimonio est non plebis, sed scriptorum sermonem eum respexisse atque tractandum sibi proposuisse. Nam ex scriptorum libris et ex eruditorum hominum polito sermone, ubi primum ἡ συνήθεια obtinuit, re vera evanuerunt topicae dialecti, cum iam omnes, sive Aeolenses sive Attici sive Dorienses sive Iones erant, uterentur τῇ συνηθείᾳ, quae propter

id ipsum ἡ κοινὴ dicta est. Contra topicae dialecti relinquebantur plebi, plane ut nostris temporibus eruditi omnes atque maxime scriptores utuntur dialecto quam dicimus «neuhochdeutsche Schriftsprache», topicae autem et gentiles dialecti adhibentur a plebe et in sermone minus polito rusticoque.

At, dixerit quis, nonne posterioribus quoque temporibus topicis dialectis occasione data usi sunt scriptores veluti qui οἱ ἀττικίζοντες dicuntur, Attica, Arrianus aliique Ionica? Hoc verum est, sed hi scriptores minime ea Ionum vel Atticorum dialecti forma utebantur, quae ipsorum aetate vigebat, sed ea, quam ex veterum scriptorum libris didicerant; quare et ipsi in veterum scriptorum numero erant habendi. Aliter sane rem se habere concedendum est in Archimede, qui Dorica dialecto usus esse videtur ea, qualis apud Siculos tertio ante Christum natum saeculo exeunte vigebat. Tamen cum ne hic quidem nimium abesset ab Alexandri aetate, et ipsum ab Herodiano, si omnino eum cognovit, veteribus adnumeratum esse puto.

PARS POSTERIOR

Quid significent apud Herodianum voces κοινὸν et κοινὴ διάλεκτος?

Cum quintae aut secundum Herodianum sextae dialecti satis multas appellationes Herodiano praesto fuisse supra viderimus, unam fortasse mireris a nobis omissam esse, quam vulgo usitatissimam et legitimam apud antiquos grammaticos fuisse contendunt, nimirum locutionem ἡ κοινὴ διάλεκτος. Etenim si Buttmanni, Krügeri grammaticos libros sequimur, a veteribus grammaticis κοινὴ διάλεκτος ea est appellata dialectus, quae ex Attica dialecto orta post Alexandri fere tempora in communem usum abiit; quorum virorum sententiam secuti sunt Steinthal, Bernhardy, alii. Nec sane dubium est, quin apud posteriores grammaticos veluti Eustathium, Gregorium Corinthium, Choeroboscum ἡ συνήθεια i. e. quinta vel sexta dialectus saepe appelletur ἡ κοινὴ διάλεκτος; sed ipse Herodianus ut in aliis

multis rebus, sic in hac quoque re longe a posteriorum grammaticorum doctrina abhorrens ubicunque his vocibus κοινὸν vel ἡ κοινὴ διάλεκτος utitur, — nam ne ipse quidem eis abstinuit — longe diverso sensu eas posuisse mihi quidem videtur.

Quod ut demonstremus, proficiscendum est a libro περὶ μονήρους λέξεως, quo in libro cum saepissime utatur Herodianus voce συνήθεια ad designandam sextam dialectum, nonnunquam etiam voces κοινὸν et κοινὴ διάλεκτος inveniuntur, nimirum

II, 924, 25: τὸ γὰρ παρὰ Κορίννῃ βανὰ οὐ κοινὸν οὐδὲ εἰς ν̅η̅ λῆγον, ἀλλ' ἴδιον θέμα τῶν Βοιωτῶν τασσόμενον ἀντὶ τοῦ γυνή·

II, 925, 19: παρῃτησάμεθα δὲ Αἰολίδα διάλεκτον διὰ τὸ πτάζω. «ἔπταζον ὡς ὄρνιθες . . .» ἐκ τοῦ κοινοῦ ἦν τοῦ ἐπτησσον.

II, 941, 4: εἰ δέ τι βαρυνόμενον ἀρσενικὸν ἔχει τὸ α̅ ἐκτεινόμενον, πάντως ἔχει κοινὸν διὰ τοῦ η̅ ὥσπερ τὸ κλᾶρος ἐκ τοῦ κλῆρος.

II, 948, 20: ἀμῶ· οὐδέποτε τὸ α̅ πρὸ τοῦ μ̅ κατὰ τὴν κοινὴν διάλεκτον ἐκτεταμένον ἐστὶν ἐν ἀρχῇ, οἷον ἅμα, ἄμυστις, ἀμύσσω, ἅμιλλα, ἀμίς, ἀμύνω, ἄμαθος· τὸ τοίνυν ἀμῶ ῥῆμα σημειῶδες· . . . ὅσα γὰρ εἶχεν οὕτω τὸ α̅ ἐκτεταμένον πρὸ τοῦ μ̅ ἐν ἀρχῇ, ἐκ τροπῆς τοῦ η̅ εἰς α̅ ἦν ὡς ἔχει τὸ ἁμέρα, ἆμος, ἆμαρ.

II, 948, 35: ἔρρω . . . τὰ τοιαῦτα Αἰολικὰ ἦν ἔχοντα κοινὰ ἱμέρρω, ἀγέρρω, οἰκτίρρω, ὀλοφύρρω· εἴπερ οὖν Αἰολικόν, ζητητέον, τί αὐτοῦ ἦν κοινόν.

II, 952, 5: ἐχθὲς καὶ χθές· οὐδὲν εἰς ε̅ς̅ λῆγον ἐπίρρημα κοινόν, ἀλλὰ μόνον τὸ ἐχθὲς καὶ χθές· πρόσκειται δὲ κοινὸν διὰ τὸ ἀὲς Δώριον.

Quorum omnium locorum vix ullo illud κοινὸν vel κοινὴ διάλεκτος ad τὴν συνήθειαν quam dicit Herodianus, referri posse facile potest demonstrari. Primum enim hic locis vocabula dicuntur κοινὰ ea, quae minime in sola συνηθείᾳ reperiuntur, sed in omnibus fere dialectis veluti πτήσσω, ἀμῶ, κλῆρος, χθές, ἐχθὲς· quae cur τῇ συνηθείᾳ soli tribuantur, causa nulla potest inveniri. Nam voces pluribus dialectis communes etsi nonnunquam ab una dialecto inventas putabat Herodianus, tamen ut supra vidimus, hoc non fecit nisi passio quam illa vox est perpessa, unius maxime dialecti propria videbatur; sed illae voces aut nihil sunt perpessae ut πτήσσω, κλῆρος, ἀμῶ aut ut χθὲς passione affectae sunt, quae minime τῆς συνηθείας propria haberi potest. Ut autem hinc apparet quae τῇ κοινῇ διαλέκτῳ tribuuntur, minime in sola συνηθείᾳ reperi, sic ne ea quidem omnia, quae

in τῇ συνηθείᾳ reperiuntur, κοινὰ ab Herodiano dicta esse docet locus de voce ἔρρω, quam vocem etsi saepissime apud auctores τῆς συνηθείας exstat, tamen κοινὴν esse negat; quod quomodo explicari posset, si re vera κοινὰ dicerentur ab Herodiano quae τῆς συνηθείας propria sunt, equidem non video. Neque magis tum intellegi poterat, cur vocem βανὰ neglegeret II, 924, 25 propterea quia non est κοινή; nam minime initio loci de voce μηχανὴ dixit illud μηχανὴ tantum κατὰ τὴν συνήθειαν singulare esse. Denique a formis quae κοιναὶ dicuntur, ceteras eiusdem vocis formas semper derivari videmus veluti ἔπταζον a πτήσσω, κλᾶρος a κλῆρος, ἔρρω; at vero Aeolicas et Doricas formas omnes a formis sextae eiusque recentissimae dialecti Herodianum propagasse quis putaverit?

Ut autem in libro περὶ μον· λέξ., sic ceterorum quoque librorum plurimis locis, ubi illud κοινὸν vel κοινὴ διάλεκτος invenitur, de dialecto quae συνήθεια appellatur, quaestionem nullam esse posse apertissimum est. Primum enim voces λαός, ναός, κισσός, τρισσός, quae omnes κοιναὶ dicuntur ab Herodiano (cfr. I, 245, 3 et 218, 8), minime eae sunt, quae solius συνηθείας propriae sint, cum iam apud Herodotum et Doricos scriptores reperiantur. Gravius etiam est, quod formae haud paucae κοιναὶ ab Herodiano appellantur, quae τῇ συνηθείᾳ ne cognitae quidem erant. Sic enim κοινὴν vocum, qualis est ὄφις, declinationem docet Herodianus esse hanc : ὄφιος etc. (cfr. II, 432, 30); tamen omnes post Alexandrum scriptores dixerunt ὄφεως. Similiter vocum in $\overline{\text{ευς}}$ exeuntium genetivum in $\overline{\text{εος}}$ κοινῶς formari docetur II, 673, 37: (βασιλεὺς διὰ τοῦ $\overline{\text{εο}}$ κοινῶς βασιλέος), cum in τῇ συνηθείᾳ omnes Attica forma Ἀχιλλέως sint usi. Porro cum ex loco qui est II, 774, 5, aperte sequatur κρέατος, κρέατι esse κοινὴν vocis κρέας declinationem, ipse Herodianus ἐν τῇ συνηθείᾳ κρέᾱ dictum esse pro κρέατα testatur II, 120, 7. Magis etiam mirum est, quod II, 187, 7 ἔκτημαι (pro κέκτημαι) et II, 304, 4 ἔσεται pro ἔσται formae κοιναὶ appellantur, quarum prior apud Homerum, Herodotum, Simonidem, altera apud unum Homerum exstat. Nam cum supra Homerum omnino formis τῆς συνηθείας propriis usum esse Herodianum negavisse viderimus, quid tandem eum movere poterat, ut formam apud unum Homerum inventam tribueret τῇ συνηθείᾳ?

Denique magnam inter τὴν κοινὴν διάλεκτον et τὴν συνήθειαν intercedere differentiam apparebit, si quae utrique opponi soleant, accuratius examinaverimus. Locutioni enim κατὰ τὴν συνήθειαν in libro περὶ μον. λέξ. semper voces κατὰ τοὺς παλαιοὺς opponi supra cognovimus; vocibus autem κατὰ τὴν κοινὴν διάλεκτον in eodem libro opponuntur ea quae mutatione facta sunt (ἐκ τροπῆς II, 948, 20), quae τῇ συνηθείᾳ minime contraria sunt ipso Herodiano ei tribuente δοθιών pro δοθιήν II, 923, 25. — Deinde τὴν συνήθειαν et ipsam dialectum ab Herodiano haberi et cum ceteris dialectis comparari supra ostendimus quare voces τῆς συνηθείας propriae passione quadam affectae et ipsae dialecticae sunt habendae; κοιναῖς autem vocibus s. κοινολεκτουμέναις opponuntur eae quae κατὰ διάλεκτον sunt i. e. quae dialectica quadam passione sunt affectae veluti II, 713, 11 et II, 741, 20 τὸ ὄρνιξ ὄρνιχος διὰ τοῦ χ κλινόμενον οὐκ ἀντίκειται ἡμῖν, ἐπειδὴ οὐκ ἔστι κοινολεκτούμενον, ἀλλὰ κατὰ διάλεκτον.

Quae cum ita sint, nihil superesse dubitationis puto, quin apud Herodianum voces κοινὸν et κοινὴ διάλεκτος minime ad quintam vel sextam dialectum liceat referre, immo plurimis saltem locis longe aliam eis subesse significationem sumendum sit. Neque omnes viros doctos qui quid esset illud κοινὴ διάλεκτος, explicare conati sunt, τὴν συνήθειαν eandem quam τὴν κοινὴν διάλεκτον esse statuerunt; sed quas ipsi de harum vocum vi et sensu protulerunt sententias, equidem probare nequeo. Etenim cum iam Buttmannum minime fugisset nonnunquam ea quoque κοινὰ dici quae in sexta dialecto nusquam inveniebantur, veluti ὄφιος (cfr. gramm. gr. § 1 adn. 13) hoc ita explicare studuit, ut diceret veteres grammaticos saepissime dialectis adscripsisse formas, quae in earum usu nunquam reperirentur; quod de Herodiano minime valere iam supra ostendimus. Porro Lobeckius in Path. tom. I, p. 9 de significatione vocis ἡ κοινὴ διάλεκτος haec dicit: «quo nomine (scilicet κατὰ διάλεκτον) significantur dialecti gentiliciae topicaeque, non ἡ κοινὴ διάλεκτος, quae ab Homero repetitur neque eius moderatrix Attica.» Sed inter Atticam dialectum ceterasque dialectos ullam apud Herodianum fieri differentiam nullo modo probari potest; et ea quae dicuntur κοινά, saepe Atticis formis opponi non aliter atque Doricis etc. multa docent exempla veluti II, 432, 30 ὄφεως,

II, 673, 37 βασιλέως, II, 218, 7 κιττός. Neque verius mihi iudicasse videtur Lehrsius, qui τὴν κοινὴν διάλεκτον dicit oppositam esse τῇ ἀπεξενωμένῃ dialecto in libro «tria script. Herod. emend. p. 11 adn. 18: ἀπεξενωμένη διάλεκτος, cui sine dubio opposita est κοινὴ διάλεκτος.» Nam illud ἀπεξενωμένη διάλεκτος non solum τῇ κοινῇ διαλέκτῳ mihi opposita videtur, sed etiam Atticae, Doricae, Ionicae etc. dialectis, i. e. omnino eis dialectis, quae a scriptoribus sunt adhibitae; quare voci ἀπεξενωμένη διάλεκτος contrarium esse verisimile est illud ὁμολογουμένη διάλεκτος, quod ab Herodiano commemoratur I, 5, 3. Lehrsium autem, ut in ceteris fere, sic in hac quoque re secutus est Lentzius, quippe qui in prosodiam catholicam haec de suo deprompta insereret: I, 236, 30: τὸ Γηλὺς ἀπεξενωμένον καὶ τὸ πολὺς κοινόν. Nam ut Lehrsius dialectum ἀπεξενωμένην oppositam dicit dialecto κοινῇ, sic Lentzius hoc loco vocem Γηλὺς tamquam ἀπεξενωμένην opposuit voci κοινῇ πολύς. Sed ipse Herodianus nunquam vocem κοινὴν opposuit voci ἀπεξενωμένῃ; immo cum II, 912, 30 haec diceret: ἵνα ἐκφύγωμεν τὸ σύνηθες τὸ μνᾶ Ἀττικοῖς καὶ τῇ νῦν χρήσει καὶ ἀπεξενωμένον τὸ χνᾶ, Lentzius quoque dicere debuit: ἀπεξενωμένον τὸ Γηλὺς καὶ τὸ πᾶσι σύνηθες τὸ πολύς. Deinde Piersonius non quid in universum significaret illud κοινὸν et ἡ κοινὴ διάλεκτος, sed quid apud Moeridem, quaerens ab hoc eas voces κοινὰς dici statuit, quae et Atticorum et ceterorum Graecorum essent propriae: Ἀττικὰ enim a Moeride appellari vocabula solorum Atticorum propria, Ἑλληνικὰ vocabula ceteris Graecis praeter Atticos nota, κοινὰ vocabula et Atticorum et ceterorum Graecorum communia (cfr. adn. ad Moerid. p. 354). Piersono sane adversatus est Bernhardy (hist. lit. Gr. I, 514, 14) satis, ut solet, obscuro dicendi genere usus; quod autem Moeridem attinet, Piersonium rectius iudicasse quam Bernhardium mihi quidem persuasum est; sed non eandem, quam apud Moeridem, apud Herodianum vocis κοινὸν significationem esse posse luce clarius est, cum Herodianus etiam voces apud unum Homerum inventas veluti ἔσεται pro κοιναῖς habuerit. Itaque iam ex ipso Herodiano quam intellexerit τὴν κοινὴν διάλεκτόν, nobis enucleandum est. Antequam autem quid sit κοινὸν secundum Herodianum, quaeramus, quid *non* sit, statuere conabimur.

Primum igitur voces, quae κατὰ διάλεκτον sunt, opponi saepius vocibus κοιναῖς iam supra vidimus (cfr. p. 108). Itaque quae κατὰ διάλεκτον sunt, non eadem κοινὰ appellari posse nobis contendere licet. Cum autem κατὰ διάλεκτον eas voces esse supra cognoverimus, quae passionem dialecti cuiusdam propriam sunt perpessae, hinc sequitur voces κοινὰς non esse voces dialectica quadam passione affectas. Quod optime confirmatur eo, quod saepissime voces Aeolica vel Boeotica vel Attica etc. passione affectae opponuntur vocibus κοιναῖς veluti I, 218, 7; 431, 5 voces Attico more, II, 372, 9 et II, 316, 10 voces Ionico, II, 671, 18 et II, 178, 10 voces Aeolico, I, 115, 20 voces Laconico et Boetico, I, 460, 25 voces Siculo, II, 432, 15 voces Boeotico more immutatae.

Ut autem voces dialectica passione affectae sive voces κατὰ διάλεκτον, sic ne ea quidem vocabula κοινὰ putanda sunt, quae poetica dici vidimus, i. e. ea quae poetica passione affecta sunt. Primum enim prorsus ut dialectica, sic poetica quoque futuri ἔσεται forma opponitur formae huius vocis κοινῇ II, 304, 4: ἔσσεται τετραχῶς· ἔσεται κοινῶς· ἔσσεται ποιητικῶς [ἢ Σικελικῶς]· ἐσσεῖται Δωρικῶς. Gravior etiam causa, unde et poeticas et dialecticas formas a dialecto quam κοινὴν dicit Herodianus, alienissimas esse cognoscitur, ea est, quod cum poetica et dialectica vocabula, ut supra vidimus, ea maxime appellentur, quae analogiae et naturae repugnent, κοιναὶ voces imprimis eae dicuntur, quae naturae et analogiae respondeant. Primum enim canoni, qui est II, 224, 17 τὰ εἰς $\overline{\text{φος}}$ δισύλλαβα βαρύνεται respondere videmus formam quam Herodianus (I, 224, 28) dicit κοινήν, ὄρφος, repugnare Atticam ὀρφῶς. Deinde iustam et legitimam formam κοινὴν formam ἔκτην, paralogam Doricam ἔκταν esse ipse significat Herodianus II, 46, 11; porro II, 187, 9 cur formam ἔκτημαι dixerit κοινήν, non κέκτημαι, hanc profert causam, quod canoni de reduplicatione vocum a litteris κτ incipientium adversatur posterior forma, respondet prior. Similiter res se habet II, 671, 17, ubi canone de declinatione vocum in $\overline{\text{εις}}$ vel $\overline{\text{ευς}}$ vel $\overline{\text{αις}}$ exeuntium sola κοινολεκτούμενα teneri, non teneri Aeolica diserte dicit Herodianus, et II, 741, 20, ubi vocem ὄρνιξ ab analogia abhorrere patitur Herodianus propterea, quia non est κοινολεκτούμενον illud ὄρνιξ; denique II, 929, 5, ubi excipit

Herodianus vocem πλάζω, quia non est κοινή, sed Aeolica; quibus omnibus ex locis dilucide apparet, quae κοινὰ sunt, ea cum analogia quam maxime debere consentire. Neque solum cum analogia debent consentire, sed etiam cum natura (φύσει), ut demonstrat locus qui est II, 713, 10: τὰ εἰς ως λήγοντα μονοσύλλαβα εἰ μὲν περισπᾶται, ἀποβολῇ τοῦ σ ποιεῖ τὴν γενικήν· εἰ δὲ ὀξύνεται, περιττοσυλλάβως κλίνεται . . . ὁ δὲ λόγος περὶ τῶν εἰς ως κοινολεκτουμένων· τὸ γὰρ βοῦς βῶς λέγουσιν αἱ διάλεκτοι καὶ ἰδοὺ περισπᾶται καὶ διὰ καθαροῦ τοῦ ος κλίνεται, βοὸς γάρ, καὶ ἐπὶ ἄλλων δὲ εἰς ους τρέπουσι τὸ ου εἰς τὸ ω καὶ οὐκ ἀντίκειται ἡμῖν, ἐπειδὴ οὐκ ἔστιν φύσει εἰς ως. Nam cum primum dicat Herodianus de solis vocibus κοιναῖς se hic loqui, postea autem voces in ω, quae ου in ω verterunt veluti βῶς, propterea se non curare, quia non φύσει in ως exeant, necessario sumendum est eas quas κοινολεκτουμένας dicit, natura (φύσει) in ως exire. Idem autem efficitur comparatis locis qui sunt II, 702, 8 et II, 432, 30: priore enim loco ὄρεος non γνήσιον esse contendit, posteriore non κοινόν; itaque cum γνήσιον id appellare consueverit, quod cum natura consentit, κοινόν simul id esse quod a natura postuletur, plane apparet. Quare cum vocum poeticarum et dialectica passione affectarum proprium sit repugnare et naturae et analogiae, contra vocum κοινῶν cum utraque consentire, illas voces in numero vocum, quae dicuntur κοιναί, habendas non esse certissimum mihi videtur.

Itaque si iam quaerimus, quaenam voces pro κοιναῖς habitae vel κοινῇ dialecto tributae sint ab Herodiano, nihil restat nisi ut κοινὰς ab eo dictas putemus eas voces, quae in dialectis et apud poetas reperiebantur nulla aut poetica aut dialectica passione affectae. Quae autem ut κοιναὶ ab Herodiano dicerentur, qui factum est? Nihil sane miri hoc in eis habet vocibus quae una forma usae apud omnes scriptores dialectosque exstant veluti νύξ, φίλος; hae enim re vera omnium Graecorum communes (κοιναὶ) erant voces. Aliter autem res se habet, si de vocibus agitur, quae diversis apud singulos scriptores dialectosque utebantur formis, quarum alia dialectica, alia poetica, alia κοινὴ appellatur, ut factum est e. g. in voce ἔσεται II, 304, 4 et in voce ἔκτημαι II, 187, 9; nam tales formae quo tandem iure dicuntur κοιναί, cum a perpaucis et antiquissimis scriptoribus sint adhibitae? Quam ad rem explicandam hoc est summi momenti

atque vel maxime premendum, quod ex ea forma, quae κοινή dicitur, ceterae eiusdem vocis formae ad unam omnes derivantur sive nullis sive aliis interpositis formis. Nam ut a voce ἔσεται incipiamus, quam iam saepius commemoravimus, ex forma ἔσεται II, 304, 4 primum derivatur forma poetica vel Sicula ἔσσεται duplicatione literae σ, hinc Dorica forma ἐσσεῖται epenthesi literae ι, hinc ἔσται per elisionem, ut re vera ἔσεται communis omnium huius vocis formarum fons potuerit dici. Optimum porro huius rei exemplum est formatio genitivi vocis in ις exeuntium; nam ex forma ὄφιος, quae κοινή dicitur huius genetivi forma e. g. II, 432, 30, primum Atticam formam ὄφεως deductam esse per mutationem literae ι in ε et productionem vocalis ο in ω ex loco, qui est II, 701, 18, deinde ex ὄφεως correptione factum esse ὄφεος ex eodem loco certiores fimus. Nec non varias genetivi vocum in ης exeuntium formas omnes secundum Herodianum ad κοινήν quam dicit formam in ου veluti Ξέρξου redire facile probari potest loco qui est II, 665, 15 sq., unde primum ex Αἰνείου Dorienses fecisse Αἰνεία, hinc Boeotos Αἰνείαο, hinc Iones Αἰνείεω apparet. Deinde κέκτημαι ex forma κοινῇ ἔκτημαι factum esse pleonasmo literae κ comperimus II, 187, 12; deinde Atticas formas κιττὸς et τριττὸς ex κοιναῖς κισσὸς et τρισσὸς et Atticas νεὼς et λεὼς et similia ex κοιναῖς ναὸς et λαὸς etc. derivatas esse contendit Herodianus I, 218, 7 et I, 242, 32; porro formas Syracusanorum proprias veluti ἔλθον ex κοιναῖς ἦλθε etc. factas esse efficitur ex loco qui est I, 460, 25 sq.; porro Thessalici genetivi in οιο veluti κάλοιο ex κοιναῖς in ου repetuntur I, 407, 33; deinde formae Atticae λέλογχε, πέπλογχε etc. ex κοιναῖς formis mutatione vocalis ε in ο (II, 356, 19) et ab eisdem Atticis formae ἀληθεία et ἱερεία ex formis κοινῆς dialecti propriis productione literae α factae esse dicuntur (cfr. II, 454, 20 sq.) Deinde Atticam formam ᾔδησθα redire ad formam ᾔδεισθα, quae κοινοτέρα dicitur II, 517, 2, docet locus qui est II, 326, 10 sq., ubi ex ᾔδεις primum apud Ionas fieri ᾔδεες per dialysin, deinde apud Atticos ex ᾔδεες ᾔδης docet Herodianus. Porro Atticum perfectum ἀλήλιφα ex κοινῷ perfecto ἤλειφα natum esse addita syllaba αλ et correpta paenultima Herodianus statuit II, 788, 11; et similiter Atticam formam εἴληφα ex κοινῇ λέληφα ortam dicit abiecta prima consonante et addita litera ι. In libro autem περὶ

μον. λέξ. formas quae κοιναὶ dicuntur, simul eas esse, ad quas ceterae earundum vocum formae revocentur, iam supra (cfr. p. 107) monuimus. Quarum vocum poeticas et dialecticas formas a κοιναῖς derivatas esse cum ipse testetur Herodianus, in aliis vocibus idem, etsi non diserte traditur, tamen facile sumi potest. Nam si II, 46, 8 ἔκτην κοινόν, ἔκταν Doricum, II, 372, 9 πέζα κοινόν, πέζη Ionicum et similiter II, 63, 18 ὑποδεξίη οὐ κοινόν, ὑποδεξία κοινὸν esse dicitur, quin illud ἔκταν Dorica mutatione ex ἔκτην, contra πέζη et ὑποδεξίη Ionum more ex πέζα et ὑποδεξία facta esse re vera putaverit Herodianus, nemo, puto, dubitabit. Deinde Dorica forma ὄρνιξ pro forma ὄρνις, quam κοινὴν dici iam supra vidimus, Aeolica αἴπάρθενος pro κοινῇ ἀειπάρθενος (II, 430, 22), Ionica forma εἴατο pro κοινῇ ἧντο (II, 92, 17) omnes eae sunt, quae ex κοιναῖς mutatione aliqua factae esse facile credi possint. Idem autem valet de variis genetivi vocum in $\overline{\text{ευς}}$ exeuntium formis, ex quibus forma in $\overline{\text{εος}}$ sola κοινὴ dicitur II, 673, 20. Nam ex hac forma et Aeolicam Ionicamque in $\overline{\text{ηος}}$ vel $\overline{\text{ειος}}$ et Beoeticam in $\overline{\text{ιος}}$ et Atticam in $\overline{\text{εως}}$ omnes esse deductas per se verisimillimum est. Neque aliter iudicandum est de iis formis dialecticis, quarum accentus a κοινῷ accentu abhorrere traditur veluti I, 241, 36 et I, 431, 5; nam quominus hic quoque κοινὰς formas primitivas et genuinas, unde ceterae deductae sint, esse sumamus, nihil obstat.

Talem igitur exemplorum copiam sufficere puto, ut quae κοιναὶ dictae sunt ab Herodiano formae, eas semper ab eo simul primitivas et ceterarum omnium eiusdem vocis formarum fontem ductas esse pro certo liceat affirmare. Quod autem formae primitivae et genuinae, ad quas ceterae omnes tamquam ad communem fontem revocantur, etsi ipsae minime in omnium Graecorum usu permanserunt, tamen κοινῇ dialecto ab Herodiano tribuuntur et κοιναὶ dicuntur, profecto mirum nihil est, dummodo statuamus τὴν κοινὴν διάλεκτον intellexisse Herodianum eam, quae antequam singulae dialecti fierent, sola in usu omnium erat, ex qua postea singulae dialecti derivatae sunt omnes. Cuius antiquissimae dialecti [1] nullos peculiares propriosque scrip-

[1] **Antiquissimam fuisse τὴν κοινὴν dialectum etiam inde cognoscere licet, quod ubicumque una cum ceteris dialectis eius mentio fit, primum obtinet locum velut II, 304, 5; 673, 37; 665, 15 etc.**

tores superesse consentaneum est; immo quaenam voces eius propriae essent, efficiendum erat ex singularum dialectorum et scriptorum comparatione, quippe qui alii aliam huius dialecti formam servarent. Quare si Herodianus II, 396, 8 haec habet: εἰ γὰρ παρὰ τοῖς κοινοῖς οὐχ εὕρηται λέξις ἀπὸ τοῦ σδ ἀρχομένη, ἀλλὰ παρὰ τοῖς Αἰολεῦσίν ἐστιν οἷον σδύγον ἀντὶ τοῦ ζυγόν, apparet illud οἱ κοινοὶ non certos quosdam designare posse scriptores, qui nullis formis nisi κοιναῖς usi sunt, sed omnes eos auctores complecti, qui κοινὴν formam ζυγὸν adhibuerunt neque alium huius loci sensum esse nisi ἐν τῇ κοινῇ διαλέκτῳ non reperiri vocem a litteris σδ incipientem. Videmus igitur haud parvam similitudinem intercedere inter κοινὴν quam dicit Herodianus dialectum et eas quas nos gemeingriechisch, gemeingermanisch dicimus dialectos; utrarumque enim formae non ex usu cognoscuntur, sed ex variarum dialectorum ex uno fonte derivatarum comparatione. Tamen inter nos et Herodianum hoc interesse concedendum est, quod nos illas quas comparando efficimus formas, postquam a singulis dialectis dialectico more immutatae sunt, ex harum dialectorum usu paulatim evanuisse putamus, contra veteres grammatici singulas dialectos praeter formas ipsarum proprias atque ex κοιναῖς derivatas ipsas κοινὰς servasse et nonnunquam adhibuisse putavisse videntur. Hinc enim factum puto, ut antiqui grammatici non, ut nos, in eo offenderunt, quod in libris Alcmanis, Sapphonis aliorum haud raro inter formas vere dialecticas formae occurrebant a dialecti charactere prorsus alienas; quas cum nos emendando removere conaremur librariorum negligentia eas illatas rati, illi ita excusabant, ut his locis κοιναῖς formis scriptores usi esse dicerent veluti Apollonius περὶ ἀντων. p. 106 B. sq: Ἡ σὲ ὁμοίως πρὸς πάντων κοινή· Δωριεῖς διὰ τοῦ τ «εἷς τε καταρρεῖ·» Θεόκριτος· «πρὸς δέ τε τῶν φίλων» Ἀλκμὰν αἰ ἔτι μετὰ τοῦ τ «τεὶ γὰρ Ἀλέξανδρος δάμασιν» καὶ ἔτι κοινῶς· «σὲ γὰρ ἄζομαι.»

Postquam quid sit in universum illud κοινὸν et ἡ κοινὴ διάλεκτος, vidimus, iam ad singula vocabula τῆς κοινῆς dialecti proprias percensenda transeamus.

Atque primum quidem hoc monendum est τὴν κοινὴν διάλεκτον secundum Herodianum non pertinere nisi ad voces in

usu scriptorum Graecorum repertas. Voces enim vulgares, quas omnino ab arte grammatica neglegi supra demonstravimus, e κοινῶν vocabulorum omni modo esse eximendas luculenter docet locus de voce ταός, quem iam saepius commemoravimus (I, 245, 32). Hic enim cum neget Herodianus Atticum ταῶς a ταός derivari posse, quia vox ταὸς in solo vulgari Alexandrinorum sermone inveniatur, κοιναὶ autem formae eae sint, ex quibus ceterae deriventur omnes, necessario sequitur vocem vulgarem nunquam pro κοινῇ haberi posse.

Ad ea autem vocabula, quae apud scriptores reperiuntur, transituri primum de eis dicamus, quae alia apud aliam dialectum forma sunt usi. In his enim quam maxime dubitari poterat, quaenam ex iis dicenda esset κοινή, velut ex variis genitivi vocum in ῐς exeuntium formis (ιος, εος, εως) quaenam κοινὴ esset, minime per se patebat. Quare in his formis inter κοινὴν et ceteras dialectos distribuendis certis quibusdam normis et rationibus Herodianum uti debuisse apparet. Primum autem in talibus quaestionibus diiudicandis eum usus observationi nonnihil tribuisse auctoritatis in universum probari potest loco qui est II, 716, 29: ἄτοπον γὰρ τὸ πλατέως εὑρισκόμενον ἐν χρήσει λέγειν γεγενῆσθαι ἐκ τοῦ σπανίως εὑρισκομένου ἐν χρήσει. Nam cum voces κοιναὶ ceterarum formarum fons sint, ipse autem Herodianus hoc loco dicat rationi repugnare ex vocibus raro inventis deducere voces crebro inventas, luce clarius est Herodianum κοινὰς eas quam maxime appellare debuisse voces, quae in plurimis dialectis et apud plurimos scriptores reperiebantur. Qua cum re bene consentit, quod II, 613, 35 Ζεὺς κοινότερον esse dicitur quam Ζήν, quia συνηθέστερον est i. e. apud plures scriptores inventum. Hinc porro explicatur, cur ναός, λαός, τρισσός κοινά dicta sint, non λεώς, νεώς, τριττός; nam illae formae ab omnibus praeter Atticos scriptoribus, hae a solis Atticis adhibebantur. Eadem deinde causa fuisse videtur, quod Ξέρξου κοινὸν habuit, non Ξέρξαο vel Ξέρξα; nam Ξέρξου a duabus dialectis (nimirum ab Attica et συνηθείᾳ), ceterae formae ab una quaeque dialecto usurpabantur. Tenendum autem est non plus auctoritatis in hac re Herodianum tribuisse Atticae dialecto et τῇ συνηθείᾳ quam ceteris dialectis, immo saepissime eum formas Atticorum et et τῆς συνηθείας proprias opposuisse κοιναῖς.

Sed licet ipse Herodianus stulti esse dixerit formas crebriores ex rarioribus deducere, tamen dubium esse non potest, quin ipse hanc rationem saepe neglexerit ut in formis ἔκτημαι, ἔσεται, quae etsi multo rariores sunt quam κέκτημαι, ἔσται, tamen κοιναὶ ab eo appellantur. Aliae nimirum fuerunt praeter usum res, quibus in eligendis vocibus κοιναῖς facile se duci passus est. Inter quas primum, par est locum obtinere analogiam. Nam cum supra viderimus formas quae analogiae repugnant, eo saepe excusari, quod poeticas sive dialecticas passiones sint perpessae, formae autem omnes secundum Herodianum aut cum analogia debeant consentire aut si paralogae sunt, aliquo modo excusari, quid miri habet, quod eas plerumque formas, quae analogiae maxime respondebant, dixit κοινάς, licet rariores essent? Hoc enim sine dubio factum est in voce ἔκτημαι, quae apud paucos scriptores reperta tamen κοινὴ appellatur, quia consentit cum canone de reduplicatione, qualis constituitur II, 790, 9. Neque minus ab analogia poscitur forma ἔσεται; nam ut formae ποιήσομαι tertia persona est ποιήσεται, sic ab ἔσομαι derivandum est ἔσεται; quare hanc formam τῇ κοινῇ dialecto tribuit Herodianus (II, 304, 6), quamvis rara esset. Plura huius rei exempla iam supra dedi, ubi in universum de analogico κοινῶν vocum charactere dixi (cfr. p. 110 sq.); nunc addo propter analogiam sine dubio κοινὰ dicta esse ὄφιος, βασιλέος, κρέατος; sic enim genetivi ex nominativis ὄφις, βασιλεύς, κρέας analogico more secundum veteres grammaticos debebant formari. Idem autem valet de κοιναῖς formis verborum λέληφα, ἤλειφα, ἔστεφα, πέπλεχα, quae omnes ἀναλογώτεραι videbantur grammaticis quam crebriores formae εἴληφα ἀλήλιφα, ἔστοφα, πέπλοχα.

Alia causa, cur nonnunquam rariorem formam κοινὴν habuerit Herodianus, ea est, quod crebrior forma usitatiore passione ex rariore poterat derivari. Nam etsi plurimas passiones admiserunt veteres grammatici, tamen et nonnullae fuerunt, quas omnino fieri posse negarent et omnino eas statuere malebant, quarum plura inveniebantur exempla quam singulares. Sic igitur II, 183, 7, ubi utrum θέλω an ἐθέλω sit genuina forma quaeritur, θέλω genuinam i. e. κοινὴν formam esse negat, quia ε ante consonantem nunquam abundat.

Contra non magnam in eligendis formis κοιναῖς Herodianus

rationem habuisse videtur etymologiae, quod nobis satis mirum potest videri. Nam si verum est, quod supra demonstrare conati sumus, κοινὴν formam semper antiquissimam et primitivam formam esse intelligendam, consentaneum erat eam semper κοινὴν dici, quae proxime accedit ad ἔτυμον, unde vox quaedam derivatur. Sed quam diverso in hac re usi sint veteres iudicio atque nos utimur, pluribus Herodiani locis potest demonstrari. Veluti duae fuerunt vocis ζυγὸν formae, altera ζυγόν, quam sine dubio pro κοινῇ habuit, altera σδυγόν, quam Doricam appellat II, 372, 12. Cum autem illud ζύγον ex vocibus δύ' ἄγον natum esse putaverit, certe si etymologiam respicias, δυγὸν prior forma est habenda; nihilo minus Herodianus primum ex δύο ἄγον ζυγὸν factum dicit mutatione literae δ in ζ, deinde ex ζυγὸν rursus Doricam formam δυγὸν contraria mutatione literae ζ in δ. Neque aliter res se habet in vocibus ἀκρεμὼν et κρεμὼν quarum haec a forma ἀκρεμὼν derivatur (I, 32, 14), illa ad verbum κρέμω revocatur (II, 167, 20), ut eiusdem literae ᾱ modo pleonasmus, modo aphaeresis in eadem voce statuatur. Tamen nonnunquam ne etymologiam quidem prorsus neglexisse Herodianum apparet ex loco de voce ἐρωδιός, ubi dubius utrum ἐρωδιὸς an ῥωδιὸς pro primitiva forma haberet, dicit II, 171, 9: καὶ ὡς μὲν πρὸς τόν σχηματισμόν ἐστιν ἐντελές (scil. ῥωδιός), πρὸς δὲ τὴν συνήθειαν ἀφαίρεσις.

Multo minus etiam quam etymologiam Herodianum in quaestionibus ad τὴν κοινὴν διάλεκτον pertinentibus respexisse puto aetatem scriptorum, apud quos forma quaedam inveniebatur. Sic enim κρέατος, ἔστεφα, πέπλεχα κοινὰς dixit formas, etsi apud posteriores solos scriptores inveniebantur; atque saepe novissimam formam pro genuina eum habuisse aperte docet locus qui est II, 177, 2: αὔσιον· ὁ μὲν Ἴβυκος αὔσιον λέγει· ὁ δὲ Ἀλκμὰν ταύσιον· ὁ δὲ ποιητὴς κατὰ διάστασιν καὶ τροπὴν τηΰσίην.. ἐγὼ δὲ ἡγοῦμαι ὅτι πρῶτον τὸ παρ' Ἰβύκῳ, δεύτερον τὸ παρ' Ἀλκμᾶνι, τρίτον τὸ παρ' Ὁμήρῳ. Hic igitur formam apud recentissimum poetam Ibycum inventam αὔσιον genuinam, formam apud antiquissimum Homerum repertam derivatam et affectam appellavit Herodianus.

Itaque in universum quattuor maxime rationibus nixum, nimirum usus, analogiae, pathologiae, etymologiae observatione,

ex variis vocis cuiusdam formis κοινὴν eligere Herodianum conatum esse videmus.

Quodsi ad eas voces transimus, quae una apud *omnes* dialectos et scriptores usae sunt forma, primum eas ex his vocibus, quae nihil omnino passae sunt, veluti φίλος, νύξ pro κοιναῖς omnes Herodiano habendas fuisse statim intelligitur. Atque adeo eas voces quae nulla sive poetica sive dialectica passione affectae apud *paucos* exstabant scriptores vel in *una* dialecto, κοινῇ dialecto ab Herodiano tributas puto veluti vocem αἰζηὸς κατὰ κοινὴν διάλεκτον esse ipse dicit I, 113, 10, etsi apud perpaucos antiquos scriptores reperitur, veluti vocem ἀκαλὸς quae apud Siculos maxime reperitur, non Siculam i. e. a Siculis inventam, sed κοινὴν eum putasse propterea sumendum est, quia eadem voce usus est Homerus, quem secundum Herodianum Siculis vocibus omnino nullis usum esse supra vidimus. Nec non κοινὰς dixisse Herodianum censeo voces Atticas ἀμεγέπη et φθοῖς, vocem Siculam ἐνδελλιστές, vocem Doricam πέταμαι, quae et ipsae sunt voces nihil passae, sed apud unam dialectum in usu inventae. Quas omnes voces κοινῆς dialecti olim proprias fuisse, postea autem e plurimarum dialectorum usu evanuisse et apud paucos scriptores servatas esse optime sumere poterat Herodianus, plane ut vocem Homericam αἴμνιος apud solos Hierapytnaeos superesse diserte dicit II, 138, 4 sq.

Longe aliter autem res se habet in iis vocibus, quae sive a pluribus sive ab una dialecto adhibitae una utebantur forma, sed ea affecta sive dialectica sive poetica passione. Nam saepe Herodianum si analogia posceret, etsi ipsa primitiva forma servata non esset, tamen formam quandam poeticam vel dialecticam perpessam esse passionem sumpsisse, vix est, cur moneam; veluti formam τέθεικα Boeoticam dixit, etsi τέθηκα nusquam exstabat, veluti ἐπίστιον pro Ionica forma habuit, quamquam nemo unquam dixit ἐφίστιον (II, 379, 26). Tales autem formas licet ab omnibus omnium dialectorum scriptoribus essent adhibitae, tamen, si recte supra statuimus κοινὰ ea sola haberi, quae nullam passionem aut poeticam aut dialecticam subiissent, κοινὰς ab Herodiano dici non potuisse apparet; neque re vera eum in κοινῶν vocum numero eas habuisse plures docent loci. Sic enim II, 949, 1 sq. vocem ἔρρω apud omnes scriptores inventam, quam

Aeolica passione affectam putabat, cum quaerat, quid eius κοινὸν sit, ipsam κοινὴν non esse significat. Deinde vocem βανὰ Boeotorum propriam expressis verbis οὐ κοινὴν esse dicit II, 924, 35, etsi alia huius vocis forma non exstabat, nimirum quia Boeotico more eam formatam esse analogia docebat. Nam in κοιναῖς primae declinationis vocibus ᾱ productum post ν consonantem nunquam deprehenditur, sed in νη omnes exibant; contra Boeoti in his vocibus pro κοινῷ η ponebant ᾱ. Itaque Herodianum plurimas agnovisse voces concedendum est, quae cum nec ipsae κοιναὶ essent nec alia earum forma in usu reperiretur, κοινὸν, si quidem usum Graecorum respiceres, non habebant. Et fuisse voces, quae κοινὸν non haberent, ipse Herodianus testatur II, 245, 11 : τὰ εἰς ως παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις εὑρεθέντα μὴ ἔχοντα προϋποκείμενον κοινὸν οἷον κορόνεως, φιβάλεως . . . πάντα προπαροξύνεται. Idem autem efficere licet ex loco de voce ἔρρω (II, 949, 1); nam cum diserte hoc loco addat Herodianus τὰ δὲ τοιαῦτα Αἰολικὰ ἦν ἔχοντα κοινά i. e. hae voces Aeolicae habebant κοινόν, nonne hinc sequitur, fuisse alias voces Aeolicas aut omnino dialecticas, quae κοινὸν non haberent? Itaque tales voces quales sunt φιβάλεως, βανά, omnino a κοινῇ dialecto alienas a singulis demum dialectis inventas et suis ipsarum legibus statim adaptatas esse sumpsisse videtur Herodianus; quamobrem eas θέματα ἴδια singularum dialectorum appellavit, ut apparet ex loco de voce βανά: τὸ δὲ παρὰ Κορίννῃ βανὰ οὐ κοινὸν οὐδὲ εἰς νη λῆγον, ἀλλ' ἴδιον θέμα τῶν Βοιωτῶν τασσόμενον ἀντὶ τοῦ γυνή (II, 924, 25). Nam θέμα eam vocem dici quae a nulla alia derivatur, optime intelligitur ex loco de vocibus ταὼς et ταῶν, qui est II, 629, 13 sq., ubi Herodianus postquam demonstravit nec ταὼς ex ταῶν factum esse nec contra, addit: κρεῖττον οὖν ἕτερα θέματα λέγειν τοῦ τυφῶν καὶ ταῶν καὶ ἕτερα τοῦ τυφῶς καὶ ταῶς et ex loco de vocibus νώ et σφώ II, 218, 24 ἄλλοι δὲ λέγουσιν, τὸ νὼ καὶ σφὼ οὐκ ἐγένετο ἀπὸ τοῦ νῶϊ καὶ σφῶϊ, ἀλλὰ ταῦτα ἑτέρων θέματά ἐστιν καὶ ἐκείνων ἕτερα θέματα.[1] Quamquam non *omnes* voces quarum κοινὸν in usu nusquam exstabat, propria singularum dialectorum θέματα Herodianum

[1] Similiter in Et. M. p. 84, 49 Dorica vox ἁμὸς aut Dorice facta ex voce ἡμέτερος aut θέμα τῆς Δωρίδος διαλέκτου εἶναι dicitur i. e. stirps ab ipsis Doriensibus inventa et statim Dorico more formata.

putavisse mihi quidem persuasum est; immo de vocibus quales sunt τέθεικα, aliter eum iudicasse censeo. Nam etsi τέθεικα est vox Boeotica mutatione affecta, tamen cum certe τίθημι esset vox κοινή, huius vocis perfectum aliquo modo iam in κοινῇ dialecto formatam esse ne ipse quidem Herodianus negare poterat neque alia huius perfecti forma in illa dialecto statui poterat nisi analogica τέθηκα. Itaque quamquam forma τέθηκα nusquam in usu reperiebatur, tamen olim eam in κοινῇ dialecto exstitisse, postea a Boeotica forma τέθεικα esse suppressam necessario propter analogiam erat sumendum. Cum autem tales formae, quas analogia olim in usu fuisse docebat, quae apud scriptores Graecos ne semel quidem occurrebant, ab Herodiano formas καθ' ὑπόστασιν appellatas esse supra demonstraverimus, eum formarum quales sunt τέθεικα, Διός etc., κοινὰ in ὑποστάσει posita esse sumpsisse mihi verisimillimum videtur. Atque huiusmodo κοινὸν ἐν ὑποστάσει positum haud scio an putanda sit forma ἔκτην, de qua Herodianus II, 46, 8 haec dicit: παρὰ τὸ κτῶ καὶ κτῆμι κινήματα ἱκανὰ ἐξέπιπτεν· δεύτερος μὲν αὐτὸς ἀόριστος ὀφείλων εἶναι ἔκτην κοινῶς, γενόμενος δὲ κατὰ Δωρίδα ἔκταν, ὃς ἐν χρήσει ὁρᾶται Ἀττικοῖς. Nam ἔκτην nusquam reperitur, sed est analogica aoristi verbi κτῆμι forma.

Tali igitur ratione Herodianus enucleasse mihi videtur, quaenam voces κοιναί, quaenam non κοιναὶ essent; ab iis autem, quas κοινὰς esse invenit, diserte distinxit eas, quae κοινῇ dialecto συνήθεις factas esse dicit II, 665, 10 sq. (cfr. II, 636, 10 sq.): ἐπὶ τῶν εἰς $\overline{ας}$ βαρυτόνων ἐὰν εὕρωμεν εἰς $\bar{α}$ τὴν γενικὴν οἷον τοῦ Παπία καὶ κοχλία, Δωρικὴν αὐτὴν λέγομεν, τῇ κοινῇ διαλέκτῳ συνήθη γενομένην· ἐπὶ δὲ τῶν εἰς $\overline{ας}$ περισπωμένων ἐὰν εἰς $\bar{α}$ εὕρωμεν τὴν γενικήν, οὐκέτι Δωρικὴν αὐτὴν λέγομεν, ἀλλὰ κοινὴν οἷον ὁ Μηνᾶς, τοῦ Μηνᾶ, ὁ Ζηνᾶς, τοῦ Ζηνᾶ, ὁ μητρᾶς τοῦ μητρᾶ. Hic igitur formae Μηνᾶ etc. tamquam κοιναὶ opponuntur formis κοχλία etc., quae Doricae sunt atque κοινῇ διαλέκτῳ συνήθεις, non κοιναὶ possunt appellari. Quid autem inter utrasque interest? Hoc interest, quod forma Μηνᾶ secundum Herodianum est legitimus et iustus vocis Μηνᾶς genetivus, quem ne in κοινῇ quidem dialecto aliter unquam formatum esse putabat (cfr. II, 636, 24); contra vocum qualis est κοχλίας, κοινὸν genetivum Herodianus dixit κοχλίου (cfr. I, 408, 17 et 20), non κοχλία, quem saepe

Doricum appellavit. At tales genetivi Dorico more formati in nonnullarum vocum declinatione in omnes dialectos irrepserant, veluti ipsi Attici et ἡ συνήθεια dicebant Λύδα, Ὕλα (cfr. Buttmann § 34 adn. 16 et § 56 adn. 1). Quare cum talibus genetivis iam omnes dialecti uterentur, eas κοινῇ διαλέκτῳ συνήθεις factas esse eo magis contendere poterat, quod, ut iam supra vidimus (cfr. p. 114), κοινὴν dialectum, postquam singulae factae sunt dialecti, non periisse, sed adhuc vigere aliis in alia dialecto servatis vocibus putabat.

Quodsi κοινῇ dialecto συνήθης appellatur ea vox, quae non a κοινῇ dialecto inventa est, sed ab una quadam dialecto facta in omnium dialectorum usum abiit, iam dubium minime potest esse, quomodo locus libri περ. μον. λέξ., qui est II, 912, 7 (ἡ δὲ γῆ κοινὴ συνήθης· ἔτρεψάν τε τὸ $\overline{η}$ εἰς $\overline{α}$ Βοιωτοὶ καὶ Δωριεῖς καὶ Αἰολεῖς γᾶ λέγοντες) sanandus sit et explicandus. Illud enim κοινὴ συνήθης nullum praebere sensum primo apparet obtutu; neque quin κοινῇ συνήθης vel κοινῇ συνήθης διαλέκτῳ scribendum sit, quisquam, puto, dubitabit. Nam κοινῇ συνήθης (διαλέκτῳ) optime appellari poterat vox γῆ, cum haec forma re vera omnium dialectorum propria aut esset aut fuisset; nam Iones, Attici, ἡ συνήθεια γῆ dicebant, Dorienses autem et Aeolenses et Boeoti, cum ex γῆ fecissent γᾶ, et ipsi olim γῆ dixerint, necesse est. Contra κοινὴ vox γῆ non poterat dici, quia huius vocis primitivam formam non γῆ putabat Herodianus, sed γέα, ex qua illud γῆ sine dubio poetica quadam aut dialectica contractione natum sumpsit (cfr. II, 424, 35: τὸ γὰρ γέα γῆ διὰ τοῦ $\overline{ε}$ γραφόμενον καὶ εἰς $\overline{η}$ συναιρούμενον).

Silentio autem praeterire nequeo in Lentzii Herodiano locos nonnullos reperiri qui cum ea de κοινῇ dialecto doctrina, qualem supra constituimus, parum consentiant.

Primum hic commemorandus est locus qui est I, 397, 20: πᾶν τοίνυν εἰς $\overline{ξ}$ μονοσύλλαβον κοινολεκτούμενον πλὴν τοῦ Θρᾷξ καὶ βῶξ ὀξύνεται. Hic enim Θρᾷξ et βῶξ in numero κοινολεκτουμένων haberi videmus; sed ut Θρᾷττα pro Θρᾷσσα Atticum dixit Herodianus II, 521, 25, sic etiam Θρᾷξ pro Θρᾷϊξ Atticum eum putavisse verisimile est; neque quin βῶξ ex βόαξ poetica vel dialectica contractione propagaverit, dubito. Itaque cum βῶξ et Θρᾷξ poeticam vel dialecticam passionem sint perpessa, fieri non

potest, ut ab Herodiano κοινὰ dicta sint; neque re vera ita dicta sunt, sed totus ille locus ab Lentzio est fictus, quem quid sit κοινὸν apud Herodianum, non recte intellexisse iam supra vidimus.

Alter locus, ubi forma quaedam iniuria κοινὴ dicitur, invenitur I, 406, 1 πᾶσα γενικὴ κοινὴ ἀπαθὴς ἐπὶ ταύτης ἔχει τὸν τόνον, ἐφ' ἧς καὶ ἡ εὐθεῖα; deinde inter exempla genetivorum κοινῶν nihil passorum praeter formas λέβητος, Αἴαντος, ταχέος, ὀξέος, εὐγενέος etiam forma Ἀχιλλέως legitur. Haec autem forma nec κοινὴ neque ἀπαθὴς est; nam κοινὴ forma genetivi vocum in ευς exeuntium ab Herodiano diserte dicitur forma Ἀχιλλέος (cfr. II, 673, 37); contra Ἀχιλλέως pro Attica forma habetur ab eo per productionem vocalis ο facta. Itaque pro voce Ἀχιλλέως levi mutatione scribendum est Ἀχιλλέος.

Mira deinde nec ferenda discrepantia intercedit inter locos, ubi de genetivo in ιος veluti ὄφιος agitur. Nonnullis enim locis hic genetivus dicitur κοινός, nonnullis Ionicus. Illud fit his locis: II, 885, 24 ἔοικε δ' εἶναι ἀπὸ τοῦ Καλλατίου, εἰ μὴ ἀπὸ τῆς Ἰωνικῆς γενικῆς γέγονε τῆς Καλλάτιος; et II, 544, 20: λεξείδιον· εἰ μὲν ἀπὸ τῆς λέξις λέξεως διὰ τοῦ ει· εἰ δὲ ἀπὸ τῆς λέξιος Ἰωνικῶς, διὰ τοῦ ι (cfr. II, 577, 13).[1] Hoc diserte fit uno loco II, 432, 30: πρὸς οὓς ἔστιν εἰπεῖν ὅτι τοῦτο γίγνεται, ἐπειδὴ οὐκ ἔστιν κοινὸν τὸ ε, ἀλλὰ κατὰ Ἀττικούς· ἔστι γὰρ ὄφιος κοινῶς. Praeterea huc mihi pertinere videtur locus, qui est II, 767, 7: Στίμμις κλίνεται διὰ καθαροῦ τοῦ ος, Ἰωνικῶς διὰ τοῦ ε καὶ ο καὶ Ἀττικῶς διὰ τοῦ ε καὶ ω, ὥσπερ ὄφις ὄφιος καὶ ὄφεος καὶ ὄφεως. Nam cum hic genetivus in εος diserte Ionicus appelletur, verisimile videtur eum, a quo hic locus profectus est, non iisdem Ionibus tribuisse genetivum in ιος, sed τῇ κοινῇ διαλέκτῳ. Itaque cum modo κοινός, modo Ionicus dicatur hic genetivus, iam quaeritur, utram sententiam ab Herodiano profectam putemus; nam eandem formam ab eo

[1] Nihil in hac re valere puto locum Iliacae prosodiae qui est I, 40, 37: οὐδὲν δὲ θαυμαστόν, εἰ διὰ τοῦ ι πολλάκις τῶν τοιούτων γενικῶν τὴν παραλήγουσαν προφέρουσιν Ἴωνες, τὴν δὲ δοτικὴν διὰ τοῦ ι· τάχα γὰρ διὰ τὸ κακόφωνον. Nam hic nihil dicitur nisi Jones ὄφιος, sed ὄφει dicere solitos esse; neque utrum ὄφιος Jonicam an κοινὴν formam putaverit Herodianus, hinc efficere licet.

modo dialectica passione affectam, modo κοινὴν esse dictam, si vera sunt quae supra de κοινῶν vocum natura diximus, nullo modo sumi potest. Reputantibus autem nobis ex tribus illis in ιος, εος, εως genetivi formis maxime cum analogia consentire formam ὄφιος eamque non solum Ionibus cognitam fuisse, sed etiam Doriensibus, Aeolensibus, Boeotis, dubium non potest esse, quin pro κοινῇ, non pro Ionica ab Herodiano sit habita. Itaque loci illi, ubi haec forma Ionica dicitur, Herodiano abiudicandi sunt, quod eo magis licet facere, quod, ut ex ipso Gregorio Corinthio comperimus, iam inter veteres Grammaticos dissensio erat, utrum illud ὄφιος κοινὸν an Ionicum esset (cfr. Greg. Cor. ed. Schäf. p. 402 sq.), unde facile fieri poterat, ut excerptores modo Ionicam modo κοινὴν hanc formam appellarent.

Deinde fortasse offensioni esse possunt quae leguntur II, 71, 13: ὀξεῖα γὰρ κατὰ μακρᾶς βραχείας ἐπιφερομένης οὐ πίπτει κατὰ τὸ κοινὸν ἔθος ὑπεσταλμένων τῶν σεσημειωμένων εἶθε αἶθε ναίχι. Nam ut αἰ pro εἰ Doricum dixit Herodianus, sic etiam αἶθε pro εἶθε eum Doriensibus tribuisse sumendum est; nihilo minus hoc loco in earum vocum numero hanc vocem haberi videmus, in quibus κατὰ τὸ κοινὸν ἔθος accentus ponitur. Sed si accuratius hunc locum examinaverimus, nihil in eo vituperandum esse apparebit. Nam licet illud αἰ in αἶθε Doricum dixerit Herodianus, tamen accentum in hac voce non Dorico, sed κοινῷ more positum re vera putabat ut apparet ex II, 200, 20: τὸ εἶθε καὶ αἶθε βαρύνεται μέν, οὐ περισπᾶται δέ, ὡς τῆλε ὧδε, ἀλλὰ παροξύνεται, ἐπεὶ περιττὴ ἡ θε συλλαβή. Hic enim abnormem vocis αἶθε accentum eodem modo excusari videmus quo accentum vocis εἶθε, nimirum non dialectica quadam licentia, sed quia abundat syllaba θε.

Similiter explicandum puto locum qui est II, 432, 7. Hic enim dicitur nullam vocem quae κατὰ τὴν κοινὴν διάλεκτον est, in ις sonum exeuntem per ει scribi, sed omnes per ι, cuius rei exemplum praeter alias voces vox δικατάληκτος Σαλαμὶς affertur; quam vocem Dorica mutatione τοῦ ν εἰς σ ex Σαλαμὶν ortam esse ipse testatur Herodianus II, 628, 24 sq. Sed ne hic quidem illud κατὰ κοινὴν διάλεκτον ὄντα ad totas voces in ις exeuntes pertinere puto, sed ad solam, de qua agitur, literam ι; quare si accurate locutus esset Herodianus, debebat dicere κοινὸν vel κατὰ τὴν κοινὴν διάλεκτον ἔχοντα τὸ ι, non κατὰ κοινὴν διάλεκτον

ὄντα. Neque enim illud ι in voce Σαλαμίς ex dialectica mutatione est orta, sed sola litera σ.

Sed sive hanc negligentiorem loquendi rationem, qualis hoc loco necessario agnoscenda est, ipsi Herodiano tribuimus sive quod mihi magis placet, excerptoribus, certe causa nulla est, cur iis Herodiani locis, ubi accurata locutio nobis est servata, ipsi coniectura minus accuratam eam reddamus, ut Lentzius mihi fecisse videtur II, 618, 9 sq.: τὰ εἰς εις λήγοντα ὑπὲρ μίαν συλλαβὴν ὀνόματα κοινολεκτούμενα καθαρὰν θέλει τὴν ει δίφθογγον... πρόσκειται δὲ κοινολεκτούμενα, ἐπειδὴ τὸ Λάχης καὶ πένης οἱ Βοιωτοὶ διὰ τῆς ει διφθόγγου προφέρονται Λάχεις καὶ πένεις λέγοντες· καὶ ἰδοὺ ταῦτα ἔχει πρὸ τῆς ει διφθόγγου σύμφωνον, ἀλλ' οὐκ ἔστι κοινολεκτούμενα... οὐ θέλει δὲ παραλήγεσθαι τῷ ι, ἀλλ' ἢ τῷ η ὡς ἐπὶ τοῦ τιμήεις, ἐρσήεις ἢ κατὰ συστολὴν ποιητικὴν τῷ ε ἠχέεις βρωμέεις ἢ τῷ ω ἢ τῷ ο ἢ τῷ α. Hoc enim loco qualis apud Lentzium legitur, offendit, quod quamquam de solis κοινολεκτουμέναις sive κοιναῖς vocibus in εις sermo fit, tamen dicitur has voces in paenultima habere vocales η, ο, ω, α et poetica correptione vocalem ε veluti ἠχέεις, βρωμέεις. Nam si in his vocibus illud ε poetica correptione ex η ortum est, non κοιναί, sed poeticae eae sunt putandae. Verum est hanc difficultatem, si verba ἢ κατὰ συστολὴν ποιητικὴν τῷ ε ὡς τὸ ἠχέεις, βρωμέεις hoc loco necessario essent retinenda, sic fortasse removeri posse, ut eadem qua priore loco dicendi negligentia statuta illud κοινολεκτούμενον ad solam ultimam syllabam pertinere rati ita interpretaremur tamquam scriptum esset τὰ εἰς εις κοινολεκτούμενον λήγοντα ὑπὲρ μίαν συλλαβὴν ὀνόματα. At ipsa illa verba minime hoc Choerobosci loco tradita sunt, sed ab Lentzio ex libro περὶ μον. λέξ. II, 920, 31 sq. addita. At hoc libri περὶ μον. λέξ. loco cum non de solis κοιναῖς, sed de omnibus vocibus in εις agatur, nihil praebent offensionis; contra cum Choerobosci loco diserte illud κοινολεκτούμενον addatur, verba illa non casu a Choerobosco, sed consilio ab Herodiano omissa neque nobis supplenda puto. Idem autem quod de hoc Herodiani loco valet, valet de simillimo qui est I, 239, 12, in quem eodem prorsus modo verba ἢ κατὰ συστολὴν ποιητικὴν etc. ex libro περὶ μον. λέξ. inseruit Lentzius.

Permultis igitur Herodiani locis illud κοινὸν et ἡ κοινὴ διά-


λεκτος longe aliud significare atque quintam vel sextam dialectum iis quae adhuc disputavimus satis superque probari puto; atque adeo omnino nusquam apud Herodianum vocem κοινὴν διάλεκτον intellegendam esse τὴν συνήθειαν, sed omnes locos qui talem huius vocis interpretationem flagitare videntur, ab excerptoribus aut totos profectos aut male intellectos relatosque esse mihi quidem persuasum est. Tamen cum haec res longioris indigeat inquisitionis, iam omissa hac quaestione ad totius disputationis finem transeo.

Quodsi omnia complectimur, Herodianum totam vocabulorum in usu scriptorum Graecorum repertorum — quae sola ad artem grammaticam pertinere putabat — copiam ita divisisse videmus, ut alia diceret κοινά, alia ποιητικά, alia κατὰ διάλεκτον i. e. aut poetica aut dialectica passione affecta; quocum optime consentiunt, quae leguntur in antiquissimo quodam codice Leidensi (ap. Schaef. in Greg. Cor. p. 627 adn. 1) sine dubio ex vetere et praestanti fonte desumpta: τῶν μὲν λέξεων αἱ μέν εἰσι ποιητικαί· αἱ δὲ κοιναί· αἱ δὲ κατὰ διάλεκτον, ubi tamen verba αἱ δὲ κοιναὶ primo loco erant ponenda. Ut autem voces poetica passione affectas ποιητικάς, sic etiam voces dialectica passione affectas uno nomine complexas Herodianus mihi διαλεγομένας appellasse videtur; quae vox etsi rarissima est, tamen servatur I, 16, 14 τὰ εἰς ῆν ἀπὸ ῥητῶν ἤτοι διαλεγομένων τῶν εἰς ῆν βαρύνεται οἷον Ἕλλην φιλέλλην, Πανέλληνες, μελλείρην, ἀρχιποίμην. Sane ut traditus est hic locus, omni sensu caret, atque miror nec Schmidtium, Arcadii editorem, nec Lentzium in eo offendisse. Quid enim illud ῥητῶν ἤτοι διαλεγομένων potest significare? Nonne ῥητὰ quoque sunt διαλεγόμενα? Contra si scribimus ἤτοι κοινῶν ἢ διαλεγομένων et sumimus illud διαλεγόμενον idem significare quod τῶν κατὰ διάλεκτον i. e. vocum dialectica passione affectarum, omnia recte se habent. Tum enim totius loci sensus hic est: Nomina in ῆν composita atque iu usu reperta (ῥητά), quorum posterior pars efficitur voce in ῆν sive κοινῶς sive κατὰ διάλεκτον exeunte, omnia gravi sono insigniuntur. Neque enim solum φιλέλλην debet βαρύνεσθαι, quod ex Ἕλλην derivatur, sed etiam Αἰνοτίτην, quod ex τιτὴν derivatur, quae est Ionica sive διαλεγομένη forma pro τιτάν.

Itaque secundum Herodianum vocabulorum Ἑλληνικῶν i. e.

in usu scriptorum Graecorum inventorum genera sunt discernenda haec tria: κοινά, διαλεγόμενα, ποιητικά.

In fine totius disputationis restat, ut gratias agam quam maximas viris doctissimis Kaibel et Studemund, quorum alter ineunte, alter exeunte labore summa et benevolentia et doctrina me adiuverunt.




3 2044 017 970 773

